

Theodr. Petri Caelsi Ratio occurrendi morbis a mineralium abusu produci solitis : Accedit Lucas Dorascentius De usu chalybis atque mercurii in obstructione curanda.

Contributors

Caels, Théodoric Pierre, 1739-1819.

Dorascentius, Lucas. De usu chalybis atque mercurii in obstructione curanda.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Romae : Apud Petrum Sabeundi, M.DCC.LXXXIII.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x4mva7ay>


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




BOSTON MEDICAL LIBRARY
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*





Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School



THEODOR. PETRI CAELSI,

COLLEGII MEDICORUM BRUXELLENSIUM


SOCII,

RATIO
OCCURRENDI MORBIS

A

MINERALIUM ABUSU

PRODUCI SOLITIS.



ACCEDIT

LUCAS DORASCENTIUS,

DE

USU CHALYBIS ATQUE MERCURII

IN OBSTRUCTIONE CURANDA.



R O M Æ

Apud Petrum Sabeundi.

M. DCC. LXXXIII.

MULTA CORPORA EADEM, ET MEDICAMENTA,
ET VENENA SUNT. *Boerh. Præl.*




P R Æ F A T I O.

*Cuncta infortunia quemcun-
que recordantem infelicitatis
communis subit miseratio ;
quantas enim clades sola mi-
neralia hominibus cæterisque
animalibus quotidie inferunt ,
dici satis nequit : quare de
eorum abusu maxime obvio ,
eique occurrendi ratione agere
decrevi.*

P R Æ F A T I O.

*Non tamen existimes, amice
Lectōr ! me mineralia planè
rejicere, semperque noxia decla-
rare; prudenti enim manu data
in saluberrima atque prompta
medicamina abire, abusum verò
illorum pessimum esse cuique
satis notum est.*

*Multa in pauca contrahere,
ac perspicuitatem cum brevitate
conjungere studui: ubique hu-
manitatis memor lege, evolve,
fruere, corrige.*



A U R U M.

S O L

C H Y M I C O R U M.



METALLUM est perfectum, ponderosissimum, simplicissimum, omnium purissimum, nec aëre, aquâ, igne destruendum, coloris plus minusve lutei, splendentis, argento mollius, stanno & plumbo durius, vix sonorum aut elasticum, admodum malleabile & ductile, difficulter fusile, aquâ regiâ solubile.

Aurum aquâ regiâ solutum variis olim admiscebatur tincturis, & panaceæ instar contra plurimos morbos commendaba-

tur ; verum ejus usus medicus nunc
 eviluit, & auri bractea tantum pilulis
 obvolvendis adhibetur hodiè, ut palato
 ac oculis sint gratiores.

Vomitum alvumque moventia, di-
 luentia, obvolvencia, absorbentia ter-
 rea, sales alcalini aquâ sufficienter di-
 luti, vera auri aquâ regiâ soluti antidota
 sunt.

Aurum fulminans, cujus tragicos ef-
 fectus *Rivinus*, *Stahlius*, *Hoffmannus*,
 aliique viderunt, sulphuris vel salis ma-
 rini spiritu adjecto enervatur.

Cum aurum purum nullo cibi potûsve
 genere solvi possit, illi diutius etiam
 aureis vasis, sine corruptelæ metu affer-
 vari queunt; verum non rarò aliquid
 argenti vel cupri admistum est auro;
 unde ex eo confecta vasa haud semper
 tuta sunt: electrum veterum ex auri
 partibus quatuor vel quinque & argenti
 purissimi parte unâ constabat.

Aurum purum ingestum non, nisi

mole , figurâ , pondere nocere potest : ubi illud vel vitrum , vel adamas , aut aliud corpus merè mechanicum , seu nullo menstruo in corpore animali solvendum ingessit aliquis (*a*) , jubent nonnulli multos cibos assumere , atque dein excitato vomitu corpus mechanicum cibis quasi inclusum eliminare tentant ; verùm metus est , ne illud violento ac celeri motu agitated ventriculum atque œsophagum graviter lædat , imò ipsam mortem inferat : quam periculosum sit (ait *illust. van-Swieten*) repleto ventriculo validum excitare vomitum , satis patet ex tristissimo illo casu nobilissimi Baronis *De Wassenaer* , Reipublicæ nostræ Architalassi , cui post maximos vomendi conatus œsophagi tubus prope diaphragma abruptus fuit , undè post intolerabiles cruciatus miserrimè periit.

(*a*) Talia infortunia imprimis manent illos , qui , neglectâ masticatione , appositos cibos nimis avidè vorant.

Ex his ergo intelligi potest summâ hic prudentiâ opus esse, neque festinanter in hac re, ut in plerisque agendum; centenis observationibus constat corpora mechanica diù in ventriculo & intestinis hæsisse sine noxâ, ac tandem per varias corporis partes vel spontè, vel casu exivisse feliciter; quapropter prudentius agunt, qui obvolventia, lubricantia oleosa aut mucilaginosâ per os anumque immittunt, olera mollia, idque genus alia exhibent, ac reliquum opus officiosæ naturæ committunt: sic anno 1675 D. *Vaillant* medicinæ Doctor, ac Regis Galliæ Antiquarius, quem prædones navigantem insequebantur, timens ne in rapaces eorum manus decideret, numismata aurea viginti, quæ secum habebat, glutivit, exque iis quædam in Galliam redux sumtâ spinachiâ feliciter reddidit alvo.

Minimè quoque despicienda sunt Balnea tepida, non secus ac cataplasmata,

lotus & linimenta, quæ iisdem viribus
pollent.

Quid conferat sanguinis missio, si
ægri sint plethorici aut inflammationi
obnoxii, nemini sane haud obvium.

Alia de re merè chirurgicâ hic non
subjicio, ne falcem in alienam messem
videar immisisse.



A R G E N T U M.

L U N A

C H Y M I C O R U M.

METALLUM est perfectum, album, splendens, post aurum ductilissimum, post cuprum maximè sonorum, durum valdè & elasticum, difficulter fusile, admodum fixum.

Argentum rarissimè purum, ast ferè semper cum cupro mixtum occurrit; undè intelligitur cautè vitandum esse, ne in vasis argenteis acida aut acescencia, imò & merè aquosa diù stagnet. Novi, ait *celeb. van-Swieten*, optimum & sincerum vinum in phialâ argenteâ clausâ servatum pessima mala produxisse, dum potaretur: illud autem non ab argento factum fuit, sed à cupro, quod in utensilibus ex argento paratis semper

adest. Phialæ enim illius argenteæ superficies interna æruginè obducta inveniebatur, dum in causam horum malorum inquirebatur.

Ut vasa cuprea stanno, sic argentea intrinsecus auro ritè sunt tegenda : ob memoratas rationes eadem quoque cautiones adhibendæ, quæ in æneorum vasorum usu præscriptæ sunt ; neque etiam alia hic antidota requiruntur, quàm quæ ærugo postulat.

Argentum spiritu nitri solutum, aut factâ dein evaporatione in crystallos & *lapidem infernalem* conversum, acerrimum, amarissimumque venenum est, ac potentissimum causticum.

Diluentia ac obvolventia, sed præsertim sapo venetus, sales alcalini (a)

(a) Ubi sapo venetus, sales alcalini & terrea absorbentia tanquam antidota præscribuntur, hæc, si ad manum sint, illis sunt præferenda ; alcalini enim sales cum acidis in salem neutrum transeunt, mucò spoliatas, erosas aut inflammatas partes salino stimulo lædere aptum.

aquâ soluti, terreaque absorbentia veneni hujus caustici vires penitus enervant.

Hæc quoque conveniunt, ubi hydragogum argentum *Boylei* vel *Angeli salæ* remedium amarissimum ac rodens, nimis largâ dosi exhibitum fuit.

Si pulsus vigeat, venæsectio proficua censetur, ut præcaveatur inflammatio, vel leniatur, si jam adsit. Anodina verò, non, nisi in fine urgentibus acerbissimis cruciatibus, & veneno jam expulso, aut maximam partem enervato, danda; dolorem enim tollunt, non verò ejus causam.

Si œsophagus, ventriculus & intestina acri veneno sint exulcerata, optimam alimoniam suppeditant lac, ova forbilia atque id genus alia; verùm in eorum usu pergendum erit diù & donec pristina redierit sanitas (*b*).

(*b*) Ne sæpiùs eadem dicenda sint, id ante omnia scire convenit, has cautiones in usu venæsectionis,

Debilitatem ventriculi à memorati
 hydragogi abufu ortam , rob bacca-
 rum juniperi fanare magnus *Boerhaavius*
 fcripfit.

anodynorum , ac alimonie post quæcunque venena
 fumpta femper effe neceffarias.



C U P R U M.

V E N U S

C H Y M I C O R U M.

METALLUM est imperfectum, coloris rubicundi splendentis, omnium maximè sonorum, solo ferro duritie ac vi elasticâ inferius, post aurum & argentum maximè ductile atque malleabile, tritum inter manus odorum, in omnibus ferè menstruis solubile.

Ex zinco aut lapide calaminari, aliisve substantiis zincum continentibus, cupro junctis conflatur æs factitium flavum, *aurichalcum* nominatum.

Aqua, olea pressa, spiritus & succi vegetabiles acidi, &c. cuprum corrodunt, ac in æruginem seu viride æris convertunt.

Ex acido vitriolico & cupro componitur sal metallicum, coloris cyanei, *vitriolum cœruleum*, *cupri* aut *veneris* dictum.

Ex spiritu nitri & cupro quoque conficitur metallicum sal cyanei coloris, *vitriolum cœruleum* haud propriè appellatum.

Spiritus salis marini, aqua regia, sal ammoniacum, oleum tartari per deliquium, spiritus volatilis alcalinus cuprum quoque solvere nata sunt.

Magnum mortalium numerum immaturæ morti quotannis tradit frequens hujus metalli usus; quare suspecta & exosa merito prudentioribus sunt vasa ænea, cibo aut potui præparando continendove destinata.

In officinis medicamentariis non rarò dividitur tamarindorum pulpa, adjecto aceto aut aquâ in magnis ahenis sine calore & negligentius præparata, ac ærugine infecta; nitida cultri lamina

in eam aliquamdiu immerfa præsentiam cupri colore manifestat. Laudanda summooperè illorum pharmacopolarum prudentia est, qui pulpam filiquis adhuc inclusam emunt, ac, ubi usus requirit, extrahunt.

Haud etiam benè famæ medici, ac ægrorum saluti consulunt illi, qui alem-bicos æneos, intus stanno non probè obductos, aquis, præsertim acidulis, distillandis adhibent; hæ aquæ quandoque virescunt, ac sapore nauseoso, vomitu, dysenteriâ, aliisve symptomatis virulentiam suam nimis serò manifestant. Salis ammoniaci spiritus ejusmodi aquæ instillatus saphirino colore cuprum prodit: hæc quoque methodus in oleis stillatitiis, spiritu vini rectificatissimo prius solutis, cuprum deteget.

Monendi quoque œnopolæ, acetique concinnatores sunt, ut lignea aut ferrea, potius quàm ænea, epistomia yinis acetisve transfundendis adhibeant.

De:

Detestanda est illa coquorum male sana industria, qui cucumeres immaturos in vas æneum demittunt, superinfundunt acetum, quod eos contegat, atque ita coquunt, sicque dein per noctem in ipso vase relinquunt, ac veneno inficiunt, ut, quali colore recentes sunt eodem in epulis appositi spectarentur: hac in re, sicuti in aliis multis, prudentiores nobis erant *Lacedæmonii*, qui coquos nullos alios, quàm carniū admittēbant, & reliquos tanquam luxuriæ ministros, ac sanitatis vitæque perniciosissimos hostes è civitate pellebant. Salubrem benigna terra largitur cibum, vasa coquinaria venenum ministrant.

Illud unum addo, medicamenta intus sumenda in mortariis æneis nonnunquam teri ac misceri, particulisque cupri contaminari.

Ab ære, aurichalco, ærugine, vitriolo cæruleo, aliisque similibus cupri præparatis, unà cum cibo, potu aut

medicamento intus sumtis horrenda sæpè oriuntur symptomata; nempe sapor valdè nauseosus, ariditas linguæ ac faucium, fitis ingens, ventriculi & intestinorum dolores acerbissimi, enormes vomitus ac alvi fluxus, aut inanes & frequentissimi nisus reddendi alvum, urinæ suppressio pertinax, anxietas summa, spirandi difficultas, vertigines, capitis dolor, phrenitis, inflammatio ac ulcera ventriculi & intestinorum, intumescencia totius corporis, convulsiones; hanc denique flebilem tragœdiam lethum finit.

Eadem ferè omnia symptomata inducit cuprum in sale alcalino volatili aut fixo, vel in salibus neutris solutum.

Artifices cuprum frequenter tractantes capillos non rarò virides habent, vertigine, nausæâ, vomitu, tussi siccâ, ulceribusque pulmonum laborant, & excrementa viridia nonnunquam alvo reddunt.

Ubi quis cibum potumve cupro in-

fectum, vel æruginem solam, vel vitriolum cæruleum assumfit, vomitus, si spontè non succedat, irritatione faucium mechanicâ protinùs concitandus, aqua tepida pura, mucilanes, lac vaccinum, amygdalarum aut olivarum oleum recens pressum, butyrum non falsum, atque id genus alia, unâ cum putaminibus ovorum, cretâ, aliisque absorbentibus terreis affatim haurienda: ea enim festinanter, vel opportuno tempore per os anumque ingesta venenum expellere ac enervare, ac ita hominem ex orci faucibus eripere valent.

Prætereà minimè despicienda sunt linimenta, fofus ac cataplasmata emollientia, abdomini præsertim admovenda, nec non balnea calida.

Si cuprum in sale alcalino volatili, aut fixo solutum, nimis magnâ copiâ ingestum fuerit, amygdalarum aut olivarum oleum sine adjectis absorbentibus adhibendum erit.

Viribus ægri multum imminutis, dari poterit vinum generosum solum, aut, si cuprum in ventriculo intestinisve adhuc hæreat, cum absorbentibus terreis mixtum; hoc enim in casu ab acidis ac acescentibus omnibus sedulo abstinendum esse haud ignorant chemiæ periti.

Tremorem post alia remedia adhibita remanentem aquarum thermalium sulphurearum potus tollit; maximè tamen si eodem tempore haud negligantur ex iis parata balnea & irrigationes ab alto.

Nunc superest, priusquam manum è tabulâ amoveamus, ut breviter adjungamus cautiones necessarias iis, qui memoratorum vasorum usui nolunt renuntiare.

Aurichalcum mero cupro præferendum; vasa enim ex illo facta, quia minus cupri continent, aliquandò mi-

nus nociva sunt ; neque etiam acidis tam facilè solvitur quàm cuprum.

Vasa intus stanno purissimo probè obducenda sunt ; solent non rarò lebetum fabri stannum cum plumbo miscere, eâque miscelâ vasa ænea intrinsecus obducere, itaque veneno venenum tegere, ac colicæ saturninæ aliisque morbis dare originem.

Cibus aut potus in his vasis nunquam fervari, verùm simul ac ebullit, in vas fictile, vitreum, aut id genus aliud, transfundi debet, ne diutiùs stagnans venenatâ cupri qualitate imbuatur : vasa enim stanno purissimo obducta, licet minùs periculosa, non tamen omninò tuta sunt ; puncta millena stanno non obducta, armatis microscopio oculis facilè conspiciuntur.

Coquinaria arma post usum quotidianum illicò expurganda atque siccanda.

Cruſta lapidea , quâ aqua cucumæ
 æneæ ſuperficiem intus obducit , minimè
 tollenda eſt : impedit enim , quominus
 aqua , aliique liquores metallum ſolvere
 poſſint.

Tandem inſpectores eligere conveni-
 ret , qui obſcœnatorum culinas cellasque
 inopinatò intrarent , vafa ænea , an
 ſtanno ritè obducta ac nitida ſint , vide-
 rent , violatæque legis reis gravem
 irrogarent mulctam.



F E R R U M.
M A R S
C H Y M I C O R U M.

METALLUM est communissimum, durissimum, minùs præ reliquis ductile ac fusile, maximè elasticum, quodammodo sonorum, igne ac tritû candescens scintillasque projiciens, facilè in quovis acido solubile, facillimè rubiginem contrahens, magneti amicum.

Ferrum acido sulphuris solutum & crystallisatum *vitriolum martis*, seu *vitriolum viride* nominatur.

Sæpissimè evenit, ut *vitriolum viride* cupri aliquid in se contineat & eadem ac *vitriolum cæruleum* inducat symptomata; quâ de causâ, nonnisi *vitriolum martis* factitium ad usus medicos adhibendum est, quod rariùs ingreditur cuprum.

Si in aquosam vitrioli solutionem nitida ferri seu cultri lamina aliquamdiù mergatur, cupri particulæ, si adsint, protinùs in conspectum venient.

Martialia homini saluberrima, intempestivè aut nimis magnà dosi sumta oris siccitatem, capitis ac ventris dolorem vehementem, vomitum, febrem, inflammationem totius corporis aliaque mala inducere possunt, quæ à nimiâ rigiditate, nimisque accelerato aut majori solidorum fluidorumque motû oriuntur.

Sunt ructus quoque nidorosi, alvi que excrementa nigricantia assumti ferri indicium.

Ubi ferrum in pulverem redactum, aut acido vegetabili, mineralive solutum in ventriculo ac intestinis adhuc hæret, id protinùs vomitum alvumque moventibus expellendum, aquosis & obvolventibus, nec non terreis absorbentibus, salibus alcalinis fixis aquâ sufficienter dilutis, sapone veneto aquâ soluto, id-

que genus aliis ingestis enervandum est.

Orgasmo, feбри, inflammationi, aliisque malis à nimis accelerato aut majori solidorum fluidorumque motu oriundis phlebotomia, alvi ductio, humectantia, temperantia, refrigerantia; aqua nempe hordei vel orizæ, emulsiones nitrosæ, &c. occurrunt.

Quando verò, ait *Boerhaavius*, integra fragmenta ferri quis devoravit, tunc conveniunt acida; ipse puellum sanavi, qui aciculam deglutiverat, solo aceto aquâ temperato; nam acetum cuspidem ferri arrodit & obtundit: & alio tempore ancillam pariter servavi, quæ magnam acum in ventriculum dimiserat. Non timendum est in his casibus acetum, etsi fortè paulum noceat.

Salis & vitrioli spiritus ferrum quoque, est cum vehementi effervescentiâ, dissolvunt; undè, ubi assumptum est illud, non, nisi cautè adhibendum his acidis est.

P L U M B U M.

S A T U R N U S

C H Y M I C O R U M.

EST METALLUM infimum, mollissimum, maximè malleabile, minimè sonorum, coloris ex cœsio grysei, post aurum & hydrargyrum gravissimum.

Plurimæ occurrunt compositiones saturninæ, quarum omnium usus internus nunquam tutus, externus sæpè salutaris, aliquando verò periculosus est.

Quidam haud infimi subsellii medici, uno alterove non infelici successu decepti, usum plumbi internum non modò innocuum, verùm etiam salutarem esse malè crediderunt : Quod centies detrimentum attulit, & semel iterumve fortè fortunâ, aut benignæ naturæ industriâ

utcunque non nocuit, aut etiam profuisse videtur, erit cane pejus & angue fugiendum.

Plumbum occultas hominum, quadrupedum aviumque sanitati ac vitæ struit insidias; saporis dulcedine fallit incautos, ac lentâ crudelique morte homines tollit.

Turpis amor nummi ann. 1695 & 1696 in urbe *Ulmensi* nonnullos impulit ut vina acida adjectis mangonizarent saturninis, ac ita venefici publici munere execrando in benè moratâ cæteroquin civitate fungerentur impunè (a): clandestina eorum fraus facilè detegi potuisset oleo vitrioli rectificato, vino instillato, quo fit ut vinum saturninis adulteratum turbetur ac lacteum colorem induat, plumbumque in eo solutum fundum petat.

(a) Ubi vina acida sunt emendanda, nostrates œnopolæ misturam adhibent sanitati non inimicam.

Si ejusdem vini, plumbo adulterati libra una aut altera subdito igne in vapores dissolvatur & dissipetur, substantia residua vasculo ad id apto infundatur, sebi paululum adjiciatur, atque ita debito ignis gradu liquetur, obtinebitur plumbum facilè conspicuum.

Ubi non multis abhinc annis contagiosus morbus ingentem boùm & vaccarum in Belgio cædem edebat, agricolæ augendi ponderis causâ butyrum cerussâ adulterabant : fraus detecta fuit atramento sympathetico adjecto, quo butyrum illud fuscum & subnigrum, ac quasi cœnosum reddebatur.

Ita mercatores extranei solent nonnunquam cum oleis rancidis cerussam miscere, eaque pro olivarum vel amygdalarum oleo recens expresso incautis vendere.

Memoratum atramentum sympatheticum sequenti modo conficitur.

℞. Pulvis auripigmenti unc : j. calcis

vivæ unc: ij. misce & coque in aquæ pluvialis purissimæ unc: xii. dimidiæ horæ spatio, decoctum refrigeratum percoletur, & in phialis ritè obturatis fervetur usui.

Si liquor ille probatorius aceto lithargirii instilletur, illudque statim nigrum fiat atque turbidum, habebis non incertam ejus bonitatis notam.

Jubent autores guttas aliquot atramenti sympathetici unciis duabus aut tribus vini instillare; si hoc fiat rubrum vel fuscum, vel nigrum atque turbidum, vinum saturninis adulteratum esse contendunt; ubi verò lactei coloris nubecula apparet, vinum asserunt meracum esse.

Erat olim in Gallia pulvis ex saturni saccharo, &c. uti volunt, compositus, ac multarum etiam nobilissimarum stirpium cæde infamis, quem scelestissimi homines clanculùm esculentis adjiciebant, ut præmaturâ consanguineorum

morte hæreditates consequerentur. Ubi similis horrendi sceleris suspicio adest, mox confugiendum ad memoratum atramentum sympatheticum, aut melius ad evaporationem chemicam seu ignem: cum enim liquores probatorii quicunque nonnunquam infidi sint, chemicus ignis fraudi detegendæ aptior est, quo vel plumbi calx, vel sal saturni, vel plumbum ipsum facilè in conspectum venit.

Si panis quoque cerussâ adulterati medulla minutatim concidatur, cum fluxu nigro (a) misceatur, & fusorio igni in crucibulo committatur impia fraus haud diù latebit.

Ubi mercurius plumbo ac bismutho adulteratus congruo ignis gradni exponitur, tum manent duo ultima sola in fundo vasis conspicua.

(a) Fluxus niger conficitur ex nitri parte unâ & tartari crudi partibus duabus, vel tribus, contritis ac commixtis, & non simul & semel, sed partitis vicibus in crucibulum candens immisiss & detonatis.

Periculofum eſt oleoſa , acida aut aceſcentia in vafis etiam fictilibus vitro ex plumbo obductis diutiùs fervare , vel cibos , potus , aut medicamenta , intùs ſumenda in vafis plumbeis præparare : *illuſtriſſimus van-Swieten* integram familiam paralyſi laboraſſe vidit , dum ad culinares uſus adhibebatur aqua in magno receptaculo plumbeo collecta & diù hærens.

Eſt etiam mala conſuetudo aquâ & minutiffimis pilulis plumbeis lagenas purgandi ; evenit nonnunquam , ut plumbi particulæ vino , in lagenis sæpe reſiduo , ſolutæ , vel violentâ agitatione abraſæ , intrinſecùs adhæreant lagenæ , ficque vinum poſteà infuſum temerent veneno ; tutiùs foret in eundem uſum factis ex ſtanno puriffimo pilulis uti.

Cinnabaris pulvis à mercatoribus lucri avidis non rarò divenditur minio adulterata ; ſi prunis inſpergatur , mercurio per atmofphæram diſuſo in conſpectum

venit plumbum : huic fraudi quoque occurritur, si loco pulveris eligantur frustra, rubini instar pellucida, aut fibris ornata splendentibus.

Sunt qui pro mercurio præcipitato rubro quoque minium vendunt, cujus indicium est, si pulveris ejus pars una cum fluxus nigri partibus duabus mixta fusorio igne commutetur in plumbum.

Admonendi periculi sui convivæ sunt, qui simul cum prædâ venaticâ plumbeas pilulas minutissimas, in illâ non rarò latitantes, soliti sunt devorare; in ephemeridibus germanicis exemplum habetur viri cujusdam, qui postquam pilulas plumbeas devorasset, facti poenas dedit acerbissimo dolore cardialgico, haud dissimili ei, quo opifices plumbum pertractantes cruciantur.

Graviter quoque læduntur pictores, infectores, pharmacopolæ, typorum dispositores, figuli, fossiores, aliique multi, qui saturnina tractant, aut
eorum

eorum vaporibus exponuntur, eosque unà cum aëre pulmonibus, aut cum salivâ, cibo potûve ventriculo recipiunt. Hinc intelligitur quam malè sanitati ac vitæ suæ consulant illi, qui foco lignis, colore saturnino obductis, extructo assident; improvidus olitor incensis vetustis horti cancellis, cerussâ obductis, calefecerat furnum; ex novem hominibus, qui panem in eo coctum sumserunt, periêre duo; reliqui septem colicâ saturninâ laborarunt atrocissimâ, ast curâ celeberrimi medici *Combalusier* optatam salutem recepêre.

Non minùs in salutis discrimen adducuntur, qui in ædibus pigmento saturnino recenter obductis morantur.

In medicorum monumentis innumera quoque exempla prostant, ubi inunctio saturnina malè cessit, & subindè lethifera fuit; desinant igitur assidui venustarum formarum sectatores unguenta saturnina frictione in poros impellere, &

facies suas , deformes licet , venenatâ tegere larvâ.

Saturnina cibo , potui , medicamentis fraudulenter mixta , vel cum salivâ ingestâ , aut unâ cum aëre ad pulmones delata , varia inducunt symptomata , qualia sunt : sapor dulcis , siccitas oris , constrictio gulæ , ponderis sensus in ventriculo , appetitus ac virium dejectio , corporis pallor & marcor , anxietas præcordiorum , vertigo , animi deliquium , tussis , asthma siccum , singultus , nausea , vomitus , vigiliæ perpetuæ , cachexia , febris lenta , icterus , tremor , palpitatio cordis , dolores artuum nec non cardialgici ac colici intolerabiles , inflammatio , fæces alvinæ , ovillis stercoreibus similes , introtractio abdominis , alvus ita stricta ut enema injici nequeat , ischuria , dysuria , contractura , amaurosis , aphonia , paralyfis extremorum , sudores frigidi , tandem convulsiones lethales.

Venæsectio rarò hic & tunc tantùm locum habet, quando pulsus plenus est ac durus, vel inflammatio instat.

Verùm numerosissimis atque accuratissimis observationibus constat emetica atque purgantia validiora, diluentibus præmissis, etiam post alia adhibita incassum, colicam saturninam feliciter debellasse; præsertim ubi turbæ ab iis excitatæ anodinis prudenter datis sedabantur: haud omnibus tamen profuisse experientiâ freti asserere minimè dubitamus: horum usus inprimis vetatur, si debilitatis summæ, irritabilitatis nimix aut phlogoseos indicia adsint. Aliquando tutiùs adhibentur purgantia leniora ex mannâ, rheo, similibusque composita, quorum efficaciam adjecta magnesia alba, aliaque acidum absorbentia multùm augent.

Mirabiliter prodest in medelâ dolorum abdominalium chronicorum ac à saturninorum abusu productorum, sa-

ponis veneti cum sale tartari & rheo mixti usus diù continuatus.

Præter hæc per totum curationis curriculum opportunè injiciuntur enemata, è lacte, decocto althææ, verbasci, seminûm lini, oleo nucûm parata, quæ, ubi vires ferunt, adhuc efficaciora evadent, si colocynthis, vinum emeticum, aliave similia his immisceantur.

Oleum ricini dulce per os anumque immissum inter remedia exquisitiora haud immeritò à nonnullis deprædicatur.

Abdomini verò paroxysmi tempore fomenta aut cataplasmata emollientia admovenda sunt, aut demittendus æger in calidum balneum est.

In subsidium etiam haud improspere vocantur decocta lignorum guajaci & sassaphras, radicum chinæ, farzaparillæ, &c. inter enim exquisitiora remedia in morbis à saturninorum abusu oriundis recensentur. *Poterius* figulum paralyfi affectum decocto ligni sassaphras &

baccarum lauri brevi pristinae salutis restituit.

His decoctis utiliter sociantur antimonialia.

Ubi tremor aut paralyfis adest, insigniter profunt electrici succussus, nec non frictiones universi corporis, maximè verò totius spinæ vertebrarum ac abdominis, pannis laneis mastiches, olibani, &c. Fumo saturatis factæ, mirè juvant etiam unguenta, emplastrave aromatica abdomini soli admota: in subsidium quoque vocantur purgantia, nec non aquæ martiales.

Si verò asthma, tuffis sicca, similiave mala pulmones infestent, aquæ calidæ vaporem hiantes ore frequenter excipere necesse est.

Sæpè inertia sunt omnia medicamina, ni in subsidium veniat recta vivendi norma, faustè adhibentur carniū juscula, additis radicibus scorzonæ, lactucâ, aliisque blandè nutrientibus, ova

forbilia, lac, &c. ita *cel. Werthofius* podagricos duos, partim ex materiâ arthriticâ, partim ex colicâ saturninâ vinosâ, omnium membrorum paralyfi affectos, lentâque tabefactos febre in integrum restituit lacteâ diætâ.

Vinum ex toto circumcidendum est, licet malum jam fileat: hoc enim, nec non cerevisia, aliaque acida & acefcencia diù sopitos fuscitant ignes: quare aqua selterana, vel simplex & pura sola, vel potius oleo tartari per deliquium medicata in usum vocanda.

Quando cubicula, ubi homines, aliaque animalia vitam degere debent, coloribus saturninis recens sunt picta; juvat vasa aquâ frigidissimâ plena in iis exponere, vel pavimentum aquâ gelidâ sæpiùs aspergere; aqua subdito igne in vapores redacta hanc infensissimam atmosphæram adhuc citiùs emendat.

Ubi plumbi frustum in ventriculo aut intestinis hæret nimis magnum, quam

ut educi possit, solutio ejus tentari potest hausto mercurio vivo, quo admixto plumbum molle atque friabile fieri chymicis non ignotum est: *cel. Le Dran* partem specilli plumbei fracti, ac in vesicam delapsi, per injectiones in eam factas tam fluxilem reddidit, ut facile potuerit exire; arcanum celavit; mercurium vivum fuisse injectum credunt aliqui.

Referunt experientissimum *Sharp* amalgama ex argenti vivi unciâ unâ & Bismuthi drachmâ dimidiâ in vesicam injecisse atque ita solvisse plumbum in eâ hærens; ast cautè utendum Bismutho, cui non rarò arsenicum admixtum est.

Instrumentum huic rei aptum accurate descripsit doctissimus *Hevermann*, in collectaneis berlinensibus, quæ medicinam, historiam naturalem, &c. tractant.

Scire etiam oportet mercurium vivum per os ingestum pessima nonnunquam

symptomata debellasse, à salis saturni
abusu producta.

Fugato morbo, remanenteque debili-
tate, proficua & necessaria censentur
equitatio, peregrinatio, remedia tonica,
martialia, aquæ spadanae, vel alia
similes solæ, aut cum lacte juxta nor-
mam medicam epotæ.



S T A N N U M.
J U P I T E R
C H Y M I C O R U M.

METALLUM est imperfectum, omnium levissimum, album, resplendens, molle, sonorum.

Licet ejus usus internus contra vermes, phthisin, aliosque morbos à celeberrimis medicis præscribatur, cum tutiora possideamus remedia, huic tamen haud nimium fidendum: nonnunquam enim cuprum, aut sæpius plumbum admistum habet.

Ex his patet salem marinum, confectio-
nem sinapis, acetaria, aliave similia,
nunquam in patinis aut vasis stanneis,
sed in fictilibus, aut melius vitreis esse
apponenda.


Ubi post stanni usum quædam oriuntur mala, pro ratione symptomatum, ad cupri vel plumbi antidota confugiendum est.



 ARGENTUM VIVUM.

MERCURIUS

CHYMICORUM.



EST LIQUOR mineralis, opacus, manus non madefaciens, coloris argentei, post aurum & platinam gravissimus, in igne volatilis.

Mercurius vivus antiquitus pro veneno habitus fuit; nunc verò multiplici experienciâ constat magnam ejus copiam sine noxâ devorari posse; à diuturno tamen ejus usu interno abstinendum esse prudentia docet; tremorem enim in artubus, & impotentiam in pedibus relinquere observatione *Hoffmanni* constat.

Argentum vivum externæ corporis viventis superficiei per linimenta, emplastra &c. imprudenter applicatum non rarò inducit anorexiam, sitim, oris

foetorem cadaverosum, febrim, gingivarum, linguæ, palati, tonsillarum, labiorum, genarum tumorem, dolorem, calorem, inflammationem, ulcera alba dolentissima, gangrænam, sphacelumve; copiosum diu noctuque viscidæ salivæ effluxum, tumorem capitis immanem unâ cum oculis turgidis, prominentibus, sanguineis; dentium antea sanissimorum dolorem, cariem, lapsum; totius sanguinis dissolutionem, debilitatem summam, animi deliquia, stuporem, paralyfin, claudicationem perpetuam, tumorem crurûm hydropicum, sævissimam cardialgiam, vomitum, alvi fluxum aquosum olidissimum cum acerbissimis torminibus; aneurismata, hæmoptifin, aliasque hæmorrhagias, atropiam, maxillarum, aliorumque oris ac nasi ossium cariem, diras anxietates, respirandi difficultatem, suffocationem, aut convulsiones lethales.

Luctuosissima exempla mortis ab

inunctione mercuriali inductæ profert
Hildanus.

Argentum vivum per inunctionem corpus ingressum, in majores globulos aliquando coit, ac in ossium cellulosis recessibus, nec non in aliis corporis partibus sub nativâ formâ suâ reperitur.

Mercurius vivus ignis vi in vapores resolutus, chemicos, metallurgos, inauratores &c. sæpè afficit tremore, vertigine, epilepsiâ, paralyfi, cæterisque symptomatis ab immoderatâ hydrargyrosi solitis produci.

His etiam infortuniis expositi sunt sani æque atque ægri, qui in eodem loco morantur diutiùs, in quo alii frictionem mercurialem subeunt, atmosphæramque inficiunt mercurialibus atomis. Doctissimus Chirurgus *Goulard* mentionem facit militis scorbutici, in eodem decumbentis loco, ubi plures ægri hydrargyrosin subibant, qui post immanem capitis tumoꝝ

rem, ingentem ptyalismum, oris interni
ulcera, gangrænam miserè periiit.

Solo diuturno motu tremulo mercurius
vivus in pulverem nigrum corrosivum
convertitur; idem congruo ignis gradui
diutiùs expositus, mutatur in pulverem
rubrum, saporis acerrimi metallici,
nauseosi, corpus humanum diù ac validè
turbantem.

Mercurius sublimatus corrosivus dul-
cis; præcipitatus ruber, albus, turpe-
thum minerale, aliaque ex argento vivo
& acidis mineralibus composita, largiori
dosi data, immodicis evacuationibus, in-
flammatione, gangrænâ, convulsionibus
&c. celeriter necant; minimâ verò copiâ,
nimisque repetitâ ingesta, eodem modo,
quo immoderata hydrargyrosis lædunt.

Turpethum minerale naribus tantum-
modo attractum sudores, vomitum, alvi
fluxum, urinas, ptyalismum, lacrymas
unâ cum capitis ingenti tumore movisse
Boyleus refert.

Mercurius sublimatus corrosivus, qui inter venena mineralia fortissima militat, haud sine circumspeditione externis etiam corporis partibus applicandus est, ut inter alia testatur tristissimum exemplum à *Degnero* allatum, matronæ ab applicatione mercurii sublimati in emplastro doloribus intolerabilibus, convulsionibus, vomitionibus, faucium ingenti tumore, salivatione, miserrimè excruciatæ & mortuæ tandem.

Dum mercurium sublimatum conficiunt chemici, ab ejus vapore graviter nonnunquam læduntur; oculis naribusque receptus pessimas ophthalmiâs, violentasque sternutationes inducit, ubi verò fauces, asperam arteriam, pulmonesque tangit; tussim, respirandi difficultatem summam, phthisin affert, aut suffocatione subitò necat.

Præsentiam mercurii sublimati corrosivi, liquore quodam soluti manifestant sapor metallicus austerus, nec non pulvis

lateritii coloris, aquâ calcis recens præparatâ, eique affusâ præcipitatus.

Recensitis jam infortuniis, quæ mercurialium abufui originem debent, remedia nunc exsequar, orfus ab iis, quæ mercurii acidis mineralibus juncti sævitiam domare sunt nata.

Aqua pura tepida, falia quæcunque solvit, diluit, enervat & per varias corporis vias educit; hinc omnium falium maximè generale antidotum rectè cenfetur: hujus præstantia in venenis falinis diluendis & enervandis confirmatur exemplo fervi, ex amore melancholici, non modicam mercurii sublimati corrosivi fumentis quantitatem, & solâ aquâ tepidâ affatim haustâ, ac ad modum enematis injectâ, curati. Vid. *Sydenham epist. prim. responfor.*

Spiritûs vini parum aquæ posset admisceri; illo enim mercurium sublimatum corrosivum faciliùs solvi inter alios observavit *Ill. van-Swieten.*

Promptum ac certum auxilium ferunt putamina ovorum, ostracodermata, lapides cancrorum, magnesia alba, creta, aqua calcis, aut sales alcalini volatiles aut fixi tantâ aquæ copiâ soluti ac diluti, ut acrimoniâ suâ nocere nequeant, ac tempestivè, antequam venenum tunicas corroferit, ingesti: in hunc sensum venit lixivium ex aquâ & cineribus ubique obviis præparatum. Eadem remedia partibus externis similiter læsis utiliter quoque applicantur: inter plures historias, quas *Wepferus* collegit, habetur casus, qui hoc confirmat. Memorabile est, inquit, quod tradit *Cl. D. Kunckelius*: nimirum cuidam tenellæ ætatis contra pediculos suafum fuit linimentum:

℞. Mercurii dulcis drachm: j mercurii vitæ scrup: j unguenti pomat. unc: j; pharmacopœus imperitus loco mercurii dulcis permiscuit mercurium sublimatum corrosivum: inde caput valde intumuit cum inflammatione, ut brevi infanti

D.

pereundum fuisset, nisi à medico intellexisset præsentem antidotum lixivium forte esse; quo cum linteo applicito, brevi convaluit; ita tamen ut capilli deciderint.

Summas laudes etiam merentur lac, olea blanda ex feminibus farinaceis maturis recenter expressa; adeps, butyrum infusum, aliaque similia, magnâ copiâ hausta & in anum injecta: hæc enim accerrima venena involvendo & obtundendo, erosas œsophagi, ventriculi, intestinorum tunicas investiendo & contra salinos stimulos muniendo, constrictas validissimo spasmo partes laxando, plures fausto beârunt eventu: solis tamen demulcentibus & incrassantibus, tametsi diuturno usu comprobatis, minimè fidentum est; sed memorati sales alcalini, aut potiùs terrea absorbentia simul in usum vocari debent, antidoti specifici titulo verè digna.

Jure quoque celebratur urina vaccina

aut equinā, affatim haurienda, aut partibus læsis extrinsecus admovenda: notare expedit has urinas colorem fyrupi violarum in viridem convertere, cum acidis effervescere, atque mercurii acidis quibuscunque juncti vires potenter enervare: inusitatum hoc antidotum, etiam si vile videatur, minimè rejiciendum, nulla enim aspernanda medicina est, quā sanitas recuperatur, aut vita redimitur. Cum maximum periculum sit in morâ, plura antidota nosse oportet, ut, alia dum defunt, mox alia substitui possint.

Inter hæc quoque utile erit pennâ intra œsophagum adactâ vomitum sollicitare, atque ægrum in balneum calidum demittere.

Memorata remedia pro variâ partium sensibilitate plus minusve diluta, ac illicò applicata, avertunt imminentes oculorum inflammationes, cohibentque sternutationes violentas, à salibus mer-

curialibus, oculis naribusque imprudenter admotis, productas.

Ubi aliquis vaporem mercurii sublimati incautus inspiravit, remedio est falis ammoniaci aut cornu cervi spiritus, aquæ calidæ vapore temperatus, & quamprimùm cum aëre ad pulmones delatus.

Ubi demum post ingentes evacuationes prægressas, summa virium defectio adest, aliquid vini generosi, absorbentibus suprâ scriptis saturati, utiliter exhibetur.

Hactenus mercurii acidis mineralibus juncti antidota exposui; nunc ad ea veniam, quæ symptomatis à mercurio, quâcunque ratione exhibito, oriundis occurrunt.

Si plethora, febris, gingivarum, linguæ, palati, tonsillarum, labiorum, genarum, totiusque capitis tumor, dolor ac inflammatio mercurialium usum comitentur; venæsectio instituenda, ac

pro febris vehementiâ , inflammationis-
que gradu repetenda ; alvus libera ser-
vanda , victus tenuis & antiphlogisticus
imperandus ; nitrum præscribendum.

Ubi tumens summopere lingua suf-
focationem minatur aut gangrænam ,
profunt hirudines ei affixæ , aut scarifi-
cationes factæ in illâ.

Molestissimum diu noctuque viscidæ
salivæ fluxum , leniora clysmata , pur-
gantia mitiora prudenter data , flores
sulphuris , atmospheræ calor temperatus ,
balnea tepida sistunt ; profunt hæc magis,
quàm camphora ab aliquibus magnoperè
commendata ; satis frequentia obser-
vata docuerunt ptyalismum camphorâ
minimè compefci ; hinc hujus remedii
usus eviluit.

Ubi tota vis argenti vivi ad alvum
ruit , atque diarrhœas ac dysenterias
periculosissimas excitat , his nullo reme-
dio tam citò , tam securè & tam effica-
citer occurritur , quam opio ac remediis

emollientibus & demulcentibus per os anumque ingestis, nec non sudoribus aëris ambientis calore aut stragulorum pondere provocatis.

Cum hydrargyrosis aliquem læsit, à frictione illicò abstinendum, tibialia, femoralia, indusia, lecti lintheamina, cæteraque omnia unguento mercuriali conspurcata statim removenda, partesque inunctæ spongiâ saponis lixivio madente sollicitè detergendæ & abluendæ.

Vitæ & viribus prospiciendum est potu antiseptico, minimè inebriante, cibo facilè digerendo ex cremore oryzæ, hordei, avenæ, ex mollissimis oleribus, ovis forbilibus, carne albâ & similibus, parcâ copiâ simul datis.

Tremori à mercurialibus orto enulæ radicis infusum aut essentia medetur: sed nil fortè efficacius reperitur, quàm cortex peruvianus cum sulphuris floribus mixtus; cæteris enim incassum adhibitis præsidiis, plures inauratores

tremore liberasse hoc solum remedium
multiplici experientiâ constat.

Cachexiam, tussim cum febre puris-
que sputo ac sudoribus colliquativis,
hæmorrhagias varias, oris ulcera, alia-
que mala chronica à mercurialium abusu
inducta, corticis peruviani nec non
decocti turonûm pini russici usus diutur-
nus omnium tutissimè curat.

Paralyfi medentur flores arnicæ, elec-
trica vis, frictiones &c.



 ANTIMONIUM.

STIBIUM STRIATUM

L I N N.

EST CORPUS minerale sulphureo - semimetallicum , durum , ponderosum , friabile , obscurum , splendentibus tamen striis distinctum , igne volatile , valdè rapax.

Antimonii pars semimetallica , à sulphure superabundante chemicâ operatione separata , *regulus antimonii* nominatur.

Stibium olim pro veneno habitum fuit; quin etiam anno 1566 supremus senatus in galliis edicto vetuit, ne quis eo uteretur; postea verò præstantissimum hoc remedium à mala suspicione liberarunt celeberrimi medici, idcirco memo-

ratum edictum abrogatum fuit annis 1637 & 1650.

Prudenter tamen adhibendum est; antimonium enim ac varia ejus præparata incauté sumta, sæpè post vomitus & alvi fluxus enormes, ventris tormina intolerabilia, diras anxietates ac corporis jactationes, hæmorrhagias, convulsiones, ventris inflationem summam; ventriculi & intestinorum inflammationem, erosionem, gangrænam &c. homines etiam robustissimos tollunt.

Uladislaus quartus poloniæ rex incauté sumto antimonii vitro è vivis fuit sublatus. Grana octo vitri antimonii in substantiâ exhibiti, post vomitus ingentes, dolores intolerabiles, ventriculi inflammationem nec non convulsiones, lethum intulisse in *Hoffmanno* legitur.

Antimonii butyrum seu oleum acrimoniâ suâ longè superat quæcunque alia stibii præparata; vi enim corrosivâ partes corporis vivi, quas tangit celer-

rimè destruit ac in escharam convertit :
 ubi illud aliave medicamenta antimo-
 nialia præparant chemici , eorum quo-
 que fumo sæpè graviter læduntur :
Ettmullerus narrat se in præparando
 antimonii clyffo , ejus exhalationibus
 tactum , asthma contraxisse.

Plurimas hujus generis historias recen-
 fere possem , si res postularet.

Tartarus emeticus liquore quodam
 solutus quandoque sub arcani titulo ad
 varios morbos sanandos à circulatoribus
 quamplurimò venditur : si hepar sulphu-
 ris ei adjiciatur , liquor fiet turbidus ,
 lateritii coloris , post brevem quietem
 sulphur auratum antimonii ad fundum
 demittens.

Tartarus emeticus non , nisi aquâ
 destillatâ solutus , præscribendus est :
 evenit enim non rarò , ut aliæ aquæ
 terram contineant absorbentem tartarum
 emeticum natam enervare.

His cognitis, transeo ad remedia infortuniis ab antimonialium abusu non rarò oriundis apta occurrere: ante omnia verò scire oportet antimonii aut ejus reguli vires in primis viis sæpè obvio acido, aut extra corpus ei adjecto summoperè intendi, idcirco prudentiores medici stibium ferè nunquam præscribunt, nisi absorbentibus mixtum.

Obvolventia ac lubricantia mucilaginosaf, vel oleofa, cum absorbentibus terreis mixta, ore affatim hausta ac in alvum injecta, præstantiffima antimonialium antidota sunt.

Hæc quoque remedia butyri antimonii extrinsecus corpori incautè applicati vires enervant.

Si dolor, inflammatio &c. abdomen occupent, linimenta, fofus, cataplasmata emollientia, ac balnea calida minimè prætermittenda sunt.

Pulfus plenus, tensus, frequens venæfectionis neceffitatem indicat.

Ubi verò quis venenatissimum antimo-
nii butyri seu olei fumum ore ac pulmo-
nibus recepit ; remedio erunt spiritus
volatiles alcalini , aquæ calidæ vapore
temperati , per os naresque delati ad
pulmones.

Tandem carnum juscula , ova sorbilia,
vinum generosum , cui salis ammoniaci
spiritus sit instillatus , nauseam & vom-
itum , absente inflammatione vel exco-
riatione sedant , viresque restituant.



A R S E N I C U M.

SUBSTANTIA est mineralis, ponderosa, venenatissima; volatilitate summâ (si in carbones ignitos aut candens ferrum conjiciatur) nec non fumo albo, allium redolente, laminamque ferream albo colore obducente præsertim innotescens; ut fileamus de aliis indiciis hostem proidentibus crudelissimum, quæ passim numerosa in celeberrimorum virorum libris videri queunt.

Scire quoque oportet arsenicum aquâ solutum, affuso hepate sulphuris aquâ purâ dissoluto, instar pulveris coloris citrini conspicuum reddi.

Operarii candelâ accensâ in fodinas demissâ experiuntur an vapores arsenicales adsint; flamma enim, quæ in

vulgaribus mineris extinguitur, in arsenicalibus dilatatur.

Variæ sunt *arsenici*, tum nativi, tum factitii species; sed tres præsertim, omnes plus minùs venenatæ, sub *albi*, *flavi* & *rubri* titulis in officinis venales prostant.

Album ex diversis mineris, sed præsertim ex *cobalto* seu *cadmiâ fossili*, metallicâ quæ ideo arsenici matrix audit, sublimatione educitur.

Flavum seu *citrinum* obtinetur, dum novem arsenici albi partes cum sulphuris unâ miscentur & sublimantur.

Rubrum, *Realgar* dictum, colore cinnabarin referens, ex arsenici albi partibus octo, & sulphuris duabus invicem sublimatis exsurgit.

Addere lubet fraterno vinculo his affine *Arsenicum*, *Rubinum* dictum, quod sulphur & arsenicum album, anaticâ quantitate invicem mixtâ, sublimatione

solitâ largiuntur; eodem quoque titulo insignitur arsenicum rubrum, convenienti igne liquatum, ac dein frigore concretum.

Non defuerunt, qui misellorum ægrorum vitam variæ periclitationis discrimini committere minimè veriti, temerario ausû arsenicalia adversus varios morbos intrinsecùs exhibuerunt: sed clinicis de ægrorum salute magis sollicitis nequaquam placent hæc tentamina, haud paucis infamia cladibus; quidquid in contrarium adducant alii.

Haud inficiabor homines nonnullos arsenicum impunè sumere, atque quædam animalia eo sumto pinguescere; verùm illud minori arsenici quantitati, vel oleis, pinguedinibus &c. priùs affatim haustis adscribendum potiùs est: id inter alios proprio nos exemplo docuit *Orvietus*, olim per totum ferè orbem malè celeberrimus; postquam enim coram numerosissimâ hiante ore spectantium &

audientium turbâ , ut arcanum suum
antidotum caro pretio venderet , potò
priùs clanculùm oleo , sæpiùs devorasset
arsenicum absque damno subsequente ;
tandem , sumtâ majori arsenici albi dosi ,
violenta , ast non iniqua mors falsiloquo
mendacem avulfit larvam : meritò hic
exclamandum cum poëtâ

. . . . *Quid non mortalia pectora cogis ,
Auri sacra fames ?*

Non furiosæ cupidinis opûm , sed
imprudentiæ pœnas luunt alii , qui futuri
nimis improvidi arsenicum farinae , car-
nibus , aliisve cibis admistum , canibus ,
felibus , gliribus , muribusque necandis
præponunt ; sicque propriæ vitæ insidias
& arma tectâ parant : animalcula enim
illa non rarò arsenicum vomitù rejiciunt ,
eoque inficiunt alimenta , mundanâ vicif-
situdine ipsis tum agressoribus funesta.

Nec levi reprehensione digni sunt , qui
formidabile omnique animalium generi
inimi-

inimicum arsenicum inter domesticos pulveres reponunt : haud rarò enim evenit , ut gravissimo errore carissimis convivis pro cremore tartari , ceu optimo ciborum condimento , atrox obtulerint venenum.

Malè quoque infantibus dantur crepundia , arsenico rubro , minio , aliisque venenatis coloribus infecta : cuncta enim ori admovere atque lingere solent periculi ignari.

Nonnunquam arsenicalis compositio pro mercurio sublimato venditur , ac ita pessimè luditur de corio ægroti , nec non de famâ medici. Vis fraudem hanc capitalem detegere ? solve mercurium sublimatum in aquâ destillatâ , liquori affunde salis ammoniaci spiritum per salem fixum tartari expulsam : si mercurius sublimatus sit genuinus , statim liquor nivis instar albescet ; si contra nigrescat liquor , nigrumque in fundo

vasis pulverem relinquat , erit signum mercurii arsenico adulterati.

Prudentiores pharmacopolæ , ubi extraneos mercatores adeunt , mercurium sublimatione in crystallos formatum pulveri præferunt , tanquam adulterationi minùs obnoxium.

Non reticendum etiam est , quòd carnes animalium abusu arsenici necatorum commedentibus nonnunquam fuerint funestæ : aribæ filiam , ad mortem tabefactam , quod gustasset carnem gallinæ arsenico peremptæ , in *Amato* legitur ; hinc patet arsenicalibus minimè congruere vetus illud italorum proverbium :

Morta la bestia , morto il veneno.

Extra oleas evagarer , si cunctos arsenici abusus in medium adducerem ; cur missis aliis , recensebo symptomata , ab ejus usu perverso solita produci , ut ex illis aliisque suprâ enumeratis indiciis invicem collatis , in foro criminali

æquum de mortis causâ judicium ferri possit (*a*).

Igitur symptomata seu indicia (*b*) arsenicum gustatum deglutitumve subsequencia sunt, sapor austerus, exspuitio frequens, vertigines; labiorum, linguæ, palati, faucium, œsophagi, ventriculi & intestinorum ardor, dolor acerbissimus, rosio ac inflammatio; febris, sitis inextinguibilis, nausea, vomitus assumtorum, crebri singultus, palpitatio cordis, virium defectio ingens; respirandi difficultas, anxietates summæ, delirium, circulus lividus circa os & oculos, repentina corporis intumescencia; manuum ac pedum stupor; his accedunt priapismus,

(*a*) Arsenici alteriusve veneni exhibiti suspicio ulterius confirmabitur, si vomitu rejecta, aut in ventriculo intestinisve hominis præcipiti morte perempti reperta, cani data, eum enecent.

(*b*) Non in omnibus omnia eademque occurrunt symptomata; verum hæc pro ætate, temperie & viribus ægri, aut quantitate veneni assumti in variis varia sunt.

totius corporis convulsiones ; pulsus tardus, inæqualis, cutis pruritus ingens, icterus, maculæ rubræ, fœtor oris, præfaga luctûs suspiria, mictus cruentus, sudores frigidi, gangræna aut sphacelus ventriculi & intestinorum ac nonnunquam etiam genitalium ; ventriculi & intestinorum perforatio aut etiam erosio seu extenuatio talis, ut eorum membranæ folium papaveris vix superent crassitie, vomitus & alvi fluxus nigri, fœtidi, cadaverosi, capillorum defluvium, lypothymia, horum plerumque omnium malorum horrendum agmen claudit atra mors, quam epidermidis secessus & totius corporis putredo subito sequuntur : verùm qui letho eripiuntur valetudinem deinceps vitream, nonnunquam febre hecticâ, paralyfi, aliorumve malorum serie exasperatam trahere solent.

Haud minora pericula circumstant illos, qui arsenicum extrinsecus variis admovent partibus, aut ejus halitibus sese

exponunt; fossiles nec non fornacum; in quibus mineræ arsenicales cremantur, accolæ macilenti languidique incedunt, ac tandem hæmoptisi, horridâve tabe tolluntur.

Tachenius narrat sese arsenicum sublimationibus repetitis fixare tentantem, aperto vase vaporem haussisse gratissimum, à quo post horæ dimidium dolores cardialgici ac colici intolerabiles, asthma, hæmaturia, aliaque pessima symptomata suborta sunt.

Meminit *Diemberoeckius* plurimum arsenicale amuletum, pessimo impostoris consilio, pectori applicantium, qui ardore interno, anxietate præcordiorum ac pustulis in medio pectore nigricantibus imprudentiam suam luerunt; verum abjecto amuleto ab afflictis properantia fata repulit celeberrimus medicus.

Vi pollet tam corrosivâ ut fossorum manus ac pedes nudatos exulceret; sic arsenicum butyro mixtum & capiti

puellæ phthiriasi affectæ , loco coccularum , per errorem illitum , febrem , delirium , syncopen , totius capitis intumescenciam ac celerem mortem induxisse *Wepferus* refert.

De arsenico extrinsecus tantummodo applicato (inquit *cel. Degnerus*) ante aliquot annos mirum vidi effectum , namque rustici quidam præparant ex arsenico decoctum , eoque corpus lavant , mirificè illud contra scabiem facere prædicantes : tale decoctum duo milites à quadam aniculâ accipiebant , eoque scabiem abluebant ; scabies quidem hæc ablutione evanuit ; sed utriusque genitalia tanta inflammatio atque intumescencia invasit , ut aspectu horrendum esset ; quibus conjuncti erant intolerabiles dolores , vehemens febris , vigiliæ , sitis &c. totusque locus affectus brevi tempore contrahebat nigredinem gangrænosam , ut de perfecto sphacelo jam sollicitus essem : tandem verò multâ

adhibitâ curâ separatio sphacelati succedebat, & paulatim laborantes restituebantur.

Seriò hæc inculcanda forent garrulis quibusdam aniculis, quæ, præjudicio hic endemio misellisque ægris luendo obcæcatæ, unguenta, emplastra, amuleta &c. corpori extrinsecus admota, nunquam nocere posse insulsâ verborum gravitate affirmant.

Sagacissimi medici vix aliquid intentatum liquere, ut invenirent remedium terribilis hujus veneni ferociam aptum comprimere.

Eorum aliqui arsenicum indolis acidæ esse contendunt, sales alcalinos tanquam præstantissima ejus antidota extollunt: verum alienis propriisque experimentis, in animalibus vivis captis, didici hæc decantata præsidia aquâ simplici haud esse efficaciora.

Nec minùs falluntur qui præsentaneo huic veneno alcalinam tribuunt indo-

lem, acidaque remedia id extinguere posse credunt; arsenicum enim alcalinæ indolis haud esse chemiæ peritus negabit nemo.

Neque tamen succum citri aliave acida planè inertia fore credimus, ubi aliquis terribile italorum venenum, *aquetta* dictum, ex arsenico, hyosciamo &c. compositum, infelix hausit; hoc enim in casu potus acidus tum arsenicum diluit; tum hyosciami mortiferum virus peculiari vi extinguit.

Hæc cum ita sint, ad generalia antidota transeundum est, inter quæ feliciter adhibetur aqua simplex, præsertim tepida, quæ arsenicum album (c) solvere, solutum diluere ac ita enervare, motoque vomitu eliminare valet: vagi glires, ubi arsenicum sumserunt, ductu naturæ conservatricis sui protinùs confugiunt ad aquam passim obviam, illaque affa-

(c) Aliæ enim arsenici species, juncto sulphure divites, aquâ solvi nequeunt.

tim haustâ à mortis discrimine sese liberant.

Maximam quoque laudem merentur lubricantia ac obvolventia per os atque anum copiosè ac diù ingesta, quæ ventriculum & intestina contra corporum rodentium injurias defendunt, dolores atque spasmos mitigant, acrimoniam quamcumque obtundunt & involvunt, sicque sine stimulo educunt (d): usitatoria sunt olea blanda ex feminibus oleosis expressa, gummi tragacantha aut arabicum aquâ solutum, butyrum insulsum, axungia porcina haud rancida, nec non adipēs quicunque recentes: horum efficaciam centenis experimentis supra memoratus *Orvietus* confirmavit abundè.

His tamen medicaminibus palmam præripit lac merum, vel quod melius

(d) Si iis affatim haustis vomitus non succedat, tunc pennâ vel digito in fauces immisso poterit excitari.

est, supra scriptis oleis, aut butyro sociatum.

Convivas omnes, quibus hospes apposuerat jusculum arsenico, loco sacchari, conditum, lacte cum amigdalorum dulcium oleo maximâ copiâ hausto, strenuè & quidem vel centies vomisse; clysmatibus quoque oleosis injectis evasisse refert *cel. Hoffmannus* (e).

Præsentaneam opem aliquando tulit oleum dulce ricini per os anumque ingestum, quod involvendo & foras deturbando arsenicum, aliudve acre venenum in stomacho & intestinis retentum, oleis cæteris palmam præripit.

His ipsis auxiliis protinùs jungantur balnea oleosa, aut aquosa tepida, embrocationesve similes, si diris convulsionibus jactentur ægri: tepidi olei balneo

(e) Diluens potus, lac, olea blanda, adipēs recentes, mucilagines gummi tragacanthæ aut arabici, aliaque similia lubricantia & obvolventia post quæcumque acria venena assumpta quoque locum habent.

convulfiones atrociffimas ex halitu veneni chemici obortas, quieviffe refert *celeb. Morgagnus.*

Ubi vapores arfenici maximè infestant pulmones, remedio funt vapores aquofi tepidi per os naresque attracti, qui arfenicales particulas diluendo ac enervando, vafa constricta laxando & emolliendo magnoperè profunt.

Ubi arfenicum fanguinem jam infecit, par fibi non habet *oleum effentiale anifi*, cujus fcrupulus unus, fimul cum looch ex ovi vitello, gummi arabico, & fyrupo de althæâ, pro dofi adultis exhibetur.

Summo quoque jure fefe commendant aquæ thermales fulphuræ, diù hauriendæ, balnei ftillicidiique inftar adhibendæ, ubi ægri præcipitis mortis difcrimen evafere, fed ftupore, paralyfi aut convulfionibus vexantur: fi verò deficient illæ aquæ, utendum erit hepate fulphuris aquâ purâ foluto: hujus enim

veneni sævitia sulphure fensim do-
matur.

Arsenicum magnam cum ferro affinita-
tem habet eoque redditur fixum ; hinc
operarii , qui metallis nobilioribus re-
pugnandis operam dant , his ferri lima-
turam utiliter tutòque adjiciunt.



A C I D A
M I N E R A L I A.

TRES acidorum mineralium diversæ sunt species, *acidi vitrioli*, *acidi nitri*, *acidi salis* titulis notæ, quas omnes, cum communia antidota postulent, uno hoc capite comprehendam.

Vitrioli acidum vel ex vitriolo, vel ex sulphure, vel ex alumine; *nitri acidum* ex nitro; *salis acidum* ex sale marino, fontium gemmæ, per chemicas operationes obtinentur.

Acida mineralia imprudenter hausta; aut etiam corpori extrinsecùs admota, non tantùm varios morbos inducunt, verùm vivas etiam carnes ac membranas destruunt, ipsaque ossa corrodunt atque exedunt, sicque crudelem ac sæpe præcipitem inferunt mortem.

Meminit *ill. Hoffmannus* hominis ; qui furiis conscientiae agitatus aquam fortem arbitris remotis biberat vitrumque per fenestram in hortum proximum projecerat : viderat hoc ejus amicus in horto deambulans ab altero non visus, cumque vitrum considerasset, odoremque cognovisset, mox verò illum vomere & valde tussire animadverteret, ad cubiculum ejus properavit, aditumque quo licuit modo patefecit : verè jam agonizantem inveniebat; cum verò non ignarus medicinae esset, interim dum medicus accederet, multâ infusâ aquâ vim concentrati acidi infregit, sicque salutis auctor exstitit.

Stalpaert van der Wiel rustici cujusdam mentionem facit, qui aurifici lunæburgi lignum vendens, auctarii que loco haustum vini adusti petens, jussus fuit ingredi hypocaustum, ubi cum solus vitreum poculum aquâ forti plenum vidisset, vinum phlegmate orbatum ratus, in-

gentem fecerit haustum , & aurifici non multò post vini spiritum apportanti responderit se jam bibisse ex hoc vitro , nec ultrà appetere ; undè illicò punctiones & lancinationes in ventre fentiens , assumto largo olei amigdalorum dulcium haustu curatus est.

Ipse *Boerhaavius* spiritûs vitrioli vel sulphuris , quem summâ ignis vi extorquebat , halitum excepit , qui fortè illum unico momento suffocasset , constrictis pulmonibus , nisi spiritum salis ammoniaci ad manus habuisset.

Acida mineralia mucilage gummi arabici , tragacanthæ , decocto incrassante *Fulleri* , ovis forbilibus , idque genus aliis unà cum putaminibus ovorum , cretâ albâ aliisque absorbentibus terreis largâ manu exhibitis citò ac tutò enervantur.

Hæc verò acida pulmonibus recepta haud alia antidota postulant , quàm mercurius sublimatus corrosivus , ignis vi in vapores resolutus.

S A L E S
A L C A L I N I F I X I,
M I N E R A L E S.

SAL GEMMÆ, aqua marina; fontes medicati varii &c. chemicâ operatione memoratos fales largiuntur.

Licet fales alcalini fixi minerales minus acres esse soleant quàm lixiviosi, illorum tamen acrimoniam forti igne valdè intendi, quin etiam causticam fieri experimentis demonstravit chemiæ peritissimus *Meyers*.

Diluentia, obvolventia, oleosa blanda, acida antidota sunt.

Aqua pura, tepida aut calida, fales quoscunque solvit, diluit, enervat & per varias corporis vias educit; hinc omnium salium maximè generale antidotum rectè censetur.

Aft

Ast hoc in casu, longè efficaciora sunt acida vegetabilia vel mineralia diluenti aquæ addita, quæ vim quoque alcalini stimuli qualitate suâ potenter invertunt.

Summa tamen cautio requiritur in horum administratione, nam œsophagus, ventriculus, intestina naturali muco privata ac exulcerata leviolem stimulum ab acidis aut salibus neutris, etiam blandioribus, ægrè ferunt: undè quidam in hoc casu olea recens pressa sola vel cum acidis mista præscribunt, quibus sales obtundantur, erosæ œsophagi, ventriculi & intestinorum tunicæ investiantur, & contra salinos stimulos muniantur. Oleis recens pressis ingestis aëris elastici generatio, à salium oppositorum effervescentiâ producta, multum quoque diminuitur: quando igitur similes conditiones adsunt, altâ semper mente tenendum est monitum *ill. Trallesii*: quod si verò (*scribit*) etiam merum

rodens alcali subfit , acido sufficienter ingesto omninò superandum , multo judicio practico ponderandum erit , an illud hujus occurfu fit superabile , antequam smegmate omni mucoso , quod villosam tunicam obducit , stricturis & excretionibus excusso , detractâ quasi veste naturali , hæc denudata injuriis cujusvis acrimoniæ in villos nervosos acturæ fit exposita : hi nimirum tum tegmine suo orbi stimulum quemvis acutiùs sentientes , non ab alcalinâ tantùm acrimoniâ crispantur , sed ab acido etiam quantumvis blandiore æquè velluntur ; imò verò , si ab utriusque concursu alius naturæ sal emergeret , non minùs ejus irritantibus puncturis malè afficerentur : hæc si fortè lectorum aliquibus nimis scrupulosa videatur cautio , operæ pretium erit perpendere summam in hominibus benè multis , ut hypochondriacis & hysteris , ventriculi & intestinorum delicatulam irritabilita-

tem & mobilitatem, quibus adeo, dum nondum ægrotant, succus citri & acetum non sunt adiaphora; sed tales quàm maximè intestinorum morbis subjacent, iisdemque graviùs affliguntur Hoc in casu primatum sanè ducit blandissimum acidum blandissimo oleo involutum in ebutyrato lacte, quòd si ullum aliud remedium acrimoniæ alcalinæ invertendæ & obtundendæ convenientissimum hic habeo, ejus egregiam virtutem in aliis ab hac causâ morbis sæpiusculè edoctus; atque hoc acidum benignum natans in pinguedine lactis multum præfero aceti acido, per mel admistum mitificato.

Opitulantur quoque enemata ex memoratis remediis acidis & demulcentibus injecta.



LAPIDES

CALCAREI

ET TERRÆ

CALCAREÆ.

Ex his violentâ exustione vel calcinatione paratur *calx viva*, quæ corporis partes, quibus applicatur, tum interiores, tum exteriores vi causticâ summo perè lædit.

Vapores quoque sub extinctione calcis assurgentes, vel è parietibus calce recenter incrustatis aut dealbatis emanantes, non rarò ophthalmiæ, sternutationis violentæ diuturnæ, asthmatis, peripneumonix, dolorum rheumaticorum, febris lentæ, paralyfis, apoplexiæ nec non funeris auctores fuere Q. *Catulus* consul romanus à C. *Mario* propter

civiles dissentiones mori iussus ; recenti calce illito multoque igne percalefacto cubiculo se inclusum peremit.

Consiliarii cujusdam aulici tres filios qui in camerâ calce obluâtâ, nondumque penitus reficcatâ, dormierant, intra tres dies suffocante anginâ periisse ; virumque propè furnum, in quo paulò ante calx exusta fuerat, commoratum sternutatione vehemente, sæpè recidivâ per aliquot annos laborasse, narrat *ill. Hoffmannus.*

Alii plures casus funesti in annalibus medicis reperiuntur, ex quibus patet, quàm imprudenter agant illi, qui in domo calce recens incrustatâ aut dealbatâ habitant. Non ergò sine gravi causâ olim apud romanos publicâ lege cautum erat, ne aliquis intra tres annos recens exstructa ædificia inhabitaret.

Ubi calx viva fuit ingesta, juvat lacte vel lini aut olivarum oleo solo, vel unâ cum melle, aceto, aliisve id genus aci-

dis affatim hausto ac in alvum injecto eam involvere, enervare, ac moto vomitu alvique fluxu eliminare.

Qui venenatis calcis halitibus affecti mortuorum instar jacent, aëri puro ac frigido quantociùs exponantur, aquâ frigidâ perfundantur, ori naribusque eorum infundatur acetum.

Non tantùm per se nocet calx viva corporis partibus exterioribus aut interioribus admota; verùm salium alcalinorum acrimoniam igneam quoque potenter intendit, uti *lixivium causticum* & *lapis causticus*, seu *ruptorium chirurgorum*, *salisque ammoniaci spiritus* cum calce vivâ paratus abundè demonstrant: Vitrioli spiritus aquâ purâ sufficienter dilutus præstantissimum antidotum est.



L A P I D E S

G Y P S E I

ET TERRÆ GYPSEÆ.

EX his igne exustis, paratur *gypsum* simulacris statuisque effingendis inserviens.

Gypsum intus sumtum, cum mucosuccoque gastrico atque enterico in lapideam soliditatem, difficulter resolvendam, concrescit; repletionis sensum, alvi constipationem, obstructions varias, melancholiam, cachexiam pessimam, paralyfin, hydropem, tympanitidem, ac denique lentam miserrimamque mortem inducit.

Cajum Proculejum, Augusti Cæsaris familiaritate gavisum, pertæsum maximi doloris stomachi, epoto gypso mortem sibi conscivisse Plinius testatur.

Emanuel Byzantii Imperator gypsum in subtilem pulverem tritum farinae fecalinæ impiè curavit admisceri, ac ita totum *Conradi III.* Imperatoris exercitum sensim delevit.

Gypsi pulvis unà cum aëre ad pulmones delatus in lapillos quoque concrefcit, linguæ ac faucium ariditatem, singultum, tussim siccam, anxietatem, syncopem, cachexiam, peripneumoniam, phthisim &c. inducit; hinc gypsoplastæ ferè semper debiles incedunt, gypsataque facie referunt simulacra.

Oxymel scilliticum ingestum, in ventriculo & intestinis hærens gypsum natum est solvere, & moto vomitu aut alvi fluxu eliminare.

Gypsi verò pulverem pulmonibus receptum, ibique concretum, aceti vapor inspiratus solvit, & excitatâ tussi educit.



S U L P H U R
V U L G A R E,
S I V E
C O M M U N E.

EST concretum minerale ex acido vitriolico & phlogisto arctissimè copulatis constans.

Sulphuris accensi fumus animalia respirantia cuncta celerrimè necare valet; ubi verò is minori copiâ hauritur, tussim, sternutationem, raucedinem, capitis dolorem, lippitudinem, diarrhœam, dysenteriam, asthma, peripneumoniam, hæmoptisin, phthisin inducit.

Clar. Ramazzinus mentionem facit mœchæ mulieris, quæ cum amasium suum, marito superveniente, sub lecto abscondisset, superposito, ut crimen magis

celaret, sulphurato velamine, se ipsam prodidit; ille enim recenti sulphuris odore percitus non potuit, quin altè tuffiret ac sternutaret.

Ill. van - Swieten insanabili asthma laborantem vidit optimum civem, qui in juventute apud œnopolam habitans, ut addisceret vinorum commercium, à sodalibus malè jocosus jubebatur, aperto ingentis dolii sulphuris vapore repleti spiraculo, olfacere, quâ arte vina à fermentatione præservarentur: miser ille validè naribus attraxit infestum hunc vaporem, & mox concidit, atque aliquot horis cum morte luctatus evasit quidem, verùm totâ vitâ mansit asthmaticus & nunquam somnum capere potuit, nisi erecto corpore in sedili hæreret.

Ubi ad suffitus adhibetur *cinnabaris*, sedulò cavendum est, ne infensus sulphuris accensi vapor (cinnabaris enim ex sulphure & mercurio unitis constat) magnâ copiâ ad oculos aut pulmo-

nes perveniat , & memorata inducat
infortunia.

Sulphuris accensi fumus iisdem anti-
dotis , quibus mercurius sublimatus
corrosivus in vapores redactus , ener-
vatur.



Z I N C U M.

EST femi - metallum , sub - malleabile , plumbei fermè coloris , in quovis acido solubile , in igne ardens.

Zinci verò flores magno calore flavescunt , & frigore denuò albescunt ; hac notâ à terris absorbentibus facilè distinguì possunt , quæ non rarò pro zinci floribus fraudulenter divenduntur.

Ex acido vitriolico & zinco *vitriolum album (couperose blanche)* componitur.

Vitriolum album vi adstringente pollet ; majori copiâ intùs sumtum anxietatem præcordiorum , sudores , vomitum alvique fluxum potenter movet , naribus attractum sternutationem violentam non rarò excitat.

Eadem , quæ ærugo , antidota postulat.

CAUTELÆ QUÆDAM
FOSSORIBUS
ALIISQUE NOCIVA FOSSILIA
TRACTANTIBUS
MAXIMÈ NECESSARIÆ.

SOLVENDA alvus dato subindè rheo
aut poto olivarum oleo, quo minùs
venenum cum salivâ aut cibus ingestum
hæreat, morâque noceat longiori.

Ab opere non recedant, quin corpus
abluant vestesque mutant, ne fossile
venenum iis adhærens haud interruptè
agere pergat.

Intermissum laborem nunquam repe-
tant jejuni: quotidianâ experienciâ con-
stat illos, qui in plumbi, arsenici &c.
fodinis pane atro unâ cum lardo pinguive
carne bibulâ vivunt, aut, antequam

operi sese accingant, lac, oleum recens, aliave id genus pinguia assumunt, quibus particulas venenatas cum salivâ in ventriculum delatas involvant, diutiùs manere incolumes.

Nicotianæ fumum per fistulam sugentes salivam perpetuò exspuere solent, quare is utilitate non carebit, ubi hæc nocivis inquinata exhalationibus est.

Gargarizando os & fauces nonnunquam etiam eluere expedit.

Vitanda loquacitas est: muti enim quia minùs frequenter respirant, minorem venenati halitûs copiam hauriunt.

Ori naribusque admoveatur velamen aquâ purâ aut antidoto, si quod cognitum sit, madidum; sic ut nullus, nisi percolatus & correctus, hauriatur aër.

Apertis portis & fenestris sæpè renovandus aër; ast cavendum semper, ne calens corpus frigore afflatuque lædatur: convenit etiam faciem, quantum possibile est, à nocivis halitibus avertere, nec

non, ad auram puriorem captandam, chymicâ officinâ interdum exire, vel vasa in loco ventis obnoxio ita disponere, ut funesti vapores ab adstantibus longissimè repellantur; in fodinis adhibenda est ventilans machina.

Aër fodinarum aliorumque locorum diù inclusus aquâ frigidâ affatim injectâ non rarò corrigitur & emendatur.

Solent nonnulli accensâ candelâ in fodinas aliaque loca suspecta lentè demissâ explorare an venenati vapores adsint; si flamma ritè vigeat, audacter intrant; si verò langueat, aut, quod pejus est, extinguatur, tum, priusquam in ea loca audeant descendere, aëris correctioni aut renovationi student; verùm alii huic signo haud multùm fidentes canem, felem &c. prius intrare jubent, ne dubio aëri propriam salutem committant.

Qui verò in fodinis mortuorum instar jacent quantociùs sunt extrahendi, aëri puro exponendi, aquâ abluendi, vesti-

menta eorum mutanda; salis ammoniaci spiritus aquâ aut spiritu vini camphorato temperatus in os naresque indendus, narium quoque irritatio mechanica haud negligenda, aër compressis ægri naribus per os vi insufflandus, nicotianæ fumus in alvum dandus; vena, præsertim jugularis, nonnunquam secanda.





DE USU CHALYBIS
 ATQUE MERCURII
 IN OBSTRUCTIONE CURANDA
 DISSERTATIO.

ERUDITISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO,
 ALBERTO HALLER

LUCAS DORASCENTIUS

S. D.

ILLUSTRIUM virorum fama, cum ubique terrarum diffusa est, hoc potissimum habet, ut eorum gloriam cujusque generis, & conditionis hominibus notam efficiat; immò verò, cum de litteris agitur, ad illos etiam perveniat, qui eas tantum a limine salutarunt, aut primoribus labiis attigerunt. Quod cum optimè tibi perspectum sit, nihil sanè miraberis, eruditissime Haller, cur mihi

tantum honoris tribuere audeam, ut ad te scribam epistolam, testem meæ obsequentissimæ erga te voluntatis: mihi, inquam, qui licet ætate & ingenio non sim cum cæteris comparandus, qui Romæ vivunt, medicinæ cultoribus, tamen ope, ac præsidio commentariorum, quos, doctis viris plaudentibus, ad communium studiorum utilitatem edidisti, confido me in re medica non mediocriter profecturum. Quid ni? Antonius Cocchius nemini ignotus, tibi verò notissimus, quem Numine dextro studiorum meorum optimum ducem, ac magistrum sum nactus, tantâ eos copiâ eruditionis abundare testatur, ac novis adeo experimentis, observationibus, argumentis esse tam luculentos, ut ea de causa hujus te ætatis, quæ floret maximè laude litterarum, secundum nemini censeat. Boerhaavii institutiones adhuc lumine carerent, ac frustra id expectassent, ni boni superi Hallerum tandem dedissent, qui

eas optimè illustraturus, pulcherrimarum rerum thesaurum nobis optantibus aperiret. Dicam quod sentio; non assentandi gratiâ. Ubinam major, quàm in his tuis commentariis, aut in rebus quàm difficillimis pertractandis ingenii vis, aut felicitas in solvendis, aut facilitas in explicandis? Hæc sunt mehercule, quæ ita me tibi addictum reddidere, ut gloriæ tuæ prædicandæ, & quantum fieri per me potest, amplificandæ desiderio exardeſcam. Nec verò istud aut mediocre est, aut obſcurum, aut hujusmodi, ut ſilentio præteriri poſſit. Nam cùm medicis, iisque vulgò celebrioribus tantâ contentione decertavi, quantâ nunquam antea ullâ in cauſâ: & jure quidem, ac meritò. Quis enim cauſam, quæ optima ſit, lucis in ſole defendendæ ſuſcipere nollet, lubenterque pro viribus ſuſtinere? Cæcutiunt plerique hujus ſæculi medicorum, qui ſi forte graviffimorum hominum ſcripta vel non intel-

lexerunt, vel etiam (quod turpius est) pervolutare & cognoscere neglexerunt, ad suam tegendam vel inscitiam, vel ignaviam, ajunt id omne supervacaneum sibi videri, quod lucubrare scriptores ætatis nostræ, ac typis edere voluerunt. Crede mihi, humanissime Haller, nimis acerbum, nimis asperum est indoctos istos etiam in magnis, clarissimisque civitatibus triumphantes intueri; qui non modò freti popularibus auris, sed etiam plausu virorum principum celebrati, ubique se jactant, atque adeo inscitiam cum incredibilem temeritate conjungunt, non sine magno sapientum dolore, & iracundiâ. Quoniam verò se sola virtus contenta est, neque infani vulgi honoribus eget, ad Te, Vir clarissime, redeo; quem cum audiverim multum operæ insumsisse in Boerhaavio Lugdunensi Professore observationibus illustrando, enixe rogarem & obtestarer, ut, quæ jam edidisti, ad me mitteres,

si mihi, ut sunt, ad manum non essent; ne, qui gloriæ tuæ faveo, tuorum operum jucundissimo fructu diutiùs carerem, simulque tibi occasionem permetterem communicandæ cum aliis doctrinæ tuæ, quæ in eisdem operibus maxima continetur. Nunc iudicium de quodam opusculo meum legendum tibi, atque, uti spero, approbandum exhibeo.

Prodiit nuper in lucem oratio botanica, quam philosophus quidam è medicorum collegio in horto academico habuit. Hoc unum captu mihi difficile visum est, quod ille ait: *Quoties, dum obstructionibus per chalybem medebamur, eas nos vidimus in scirrhum, aut cancerum insanabilem permutatas? quoties nos hydrargyrum, & cætera, quæ ab eo sunt per medicamenta, sumus execrati; dum tantos ab iis vidimus fluctus, tempestatesque excitationes, ut quid consilii caperemus, nesciremus?* Qua quidem in re fugit philosophum ratio, meâ quidem sententiâ. Ejus enim

observatio inutilis est, quippe quæ non ex accuratâ historiâ, non ex enumeratione juvantium ac nocentium, non ex cadaverum sectionibus deducta sit. Utinam verò ex iis, quæ diximus, profecta esset. Tunc enim de indole morbi perbellè ille atque cæteri judicassent, essentque cautiores in quibusdam tractandis medicaminibus; neque ille tam præceps in affirmando fuisset: *chalybem in cancrum & scirrhum permutare obstructiones, & hydrargyrum fluctus, tempestatesque excitare.*

Jure optimo culpanda ejus opinio est, quem non puduit duo illa medicamina ex chemiâ explodere, mortalium generi utilissimâ ac nobilissimâ scientiâ, cujus unius est virtutes terræ multiplices investigare. Sæpè cogitabo de illâ vulgari observatione, quæ non habetur in antedictis; præsertim verò cum scriptoris illius observatio in duobus illis medicamenti generibus non parùm mihi videatur

tur experiētiâ labefactari, quam scriptor ille vel, ut par erat, minimè attendit, vel nunquam vidit. Quibus nos documentis si vellemus insistere, chemicam scientiam longè profectò salutarem, ejusque præcepta, quæ à gravibus auctoribus nobis tradita sunt, contemneremus. Nam *falsum dicere ex bona ratione, turpe non est, falsum verò palam negare, sat est*, teste Quintiliano. Verùm studia nostra locabimus in defendendâ viriliter veritate, & fideliter pro chemiâ certabimus. Chemicam, sive spargiricam, quæ ad salutem humani generis, atque ornamentum haud contemnendum inventa est, jam dudum sopitam, in lucemque deinde revocatam quidam dixerunt, non secus ac fulmina tormenti bellici, ad communem lanienam, atque perniciem. Hanc scientiam a Dæmonibus filiabus hominum datam in pretium amoris putarunt nonnulli: qui error sanè antiquissimus ex eo duxit originem, quòd illi

sensum scripturæ genuinum affecti non
 essent Genes. 6. 2. scriptorum catalogum
 non est facile texere, qui de hoc argu-
 mento differuerunt: præcipui tamen
 sunt, Oswaldus Crollius, Beguinus,
 Joannes Hartmannus, Joannes Petrus
 Faber, Le Mery, Le Mort, Basilius
 Valentinus, Paracelsus, Rogerius Baco,
 Raymundus Lullius, Joannes Rudolphus
 Glauberus, Joachimus Beccherus, Ett-
 mullerus, Boerhaavius, Hoffmannus,
 Poterius, & alii complures. Inter mine-
 ralia siquidem, quæ eruuntur ex visce-
 ribus terræ, quæ centrum, seu matrix
 elementorum omnium adpellatur, & in
 quam elementa projiciunt sua spermata,
 & femina, quæ terræ sinu foventur,
 ac digeruntur, chalybs, & hydrar-
 gyrum computantur. Priùsq̃am verò
 utrorumque mineralium vires, natu-
 ramque investigem, de obstructione,
 scirrho, nec non cancro, quantum
 brevitatis hinc necessaria permittit, quæ-

dam notanda judicavi : ac primùm de obstructione.

Obstructionem Hermannus Boerhaavius in aphorismis de cognoscendis, curandisque morbis, numquam fatis laudatis definivit; dicens, *quòd sit obturatio canalium, transitum tollens liquido, per eum transjiciundo, vitali sano, vel morbofo, orta ex excessu molis transiturae supra capacitatem vasis transmissuri.* Est autem duplex obstructio, eorum sententiâ, qui medici habentur accuratissimi; quarum unam oppilativam ab humore vas infarciante; attenuativam alteram per collapsum vasorum atque viarum dicere solent. Cuique medicorum notum est, has ab humore crasso, deside, tenacique proficisci: deque his sapienter Thomas Warthonus Adenograph. cap. 11. scripsit, ac quinque modis contingere affirmavit. *Primò, in ipso aditu succi lactei in orificia venarum lactearum. Secundò, in transitu ejusdem per mesenterii glandulas. Tertiò, in*

transitu sanguinis ex arteriis in venas per earumdem glandularum substantiam. Quartò, in canalibus aquosis, vel lymphæ ductibus. Quintò, in nervis. Canaliculorum præcipuè de nomine, in quos massulæ sanguineæ confestim impelluntur, ocyusque deferuntur, qui obstructionibus magis obnoxii sunt, arteriosi, venosique ferè unanimi consensu nuncupantur. Perpenſa generalissima obstructionis idea, istiusmodi aliquod exemplum afferre decrevi in dissert. de chlorosi, quæ, Deo dante, proximo anno in lucem prodibit. Dum ergò arteriosi & venosi canaliculi, qui per uteri substantiam serpunt, obstructionem in virginibus patiuntur, morbus virgineus, seu chlorosis confestim accidit: cujus ætiologiam repetere libet à sanguinis impuri, & humorum viscidorum ac minùs motui aptorum abundantia, tum ob deperditum tonum, vigorem, ac vim solidarum partium, maximèque viscerum chylicationi inser-

vientium , quæ sunt ventriculus , intestina , hepar , lien , ac pancreas : tum ob ipsarum sanguificationi inservientium robur labefactatum in machinâ nostrâ ; ut sunt arteriæ , venæ , cor ac pulmones. Nam dum partes nostri corporis fibrosæ & vasculosæ minùs possident motum oscillatorium , non fiet illarum contractio , adeò ut in arcum distentæ abbrevientur , & in lineas disponentur rectas , neque accedent circa cavitatis axem , neque ad humores validè appellendos erunt idoneæ ; atque ita sanguinis circuitus tardior lentiorque evadat necesse erit , & hinc separationum æquè ac excretionum negotium saluberrimum imminuitur. Undè fordes excrementitiæ viscidæ , biliosæ , falsæ , serosæ , quæ in hepate renibusque secerni ac foras ejici debent , maximâ ex parte retentæ , impurum planè ac intemperatum reddunt sanguinis serum & succum nutritium. Temporis decursu fibræ motrices extre-

morum in cute vasorum , ex Ruyschii injectionibus stupendis primum ritè cognitorum, proprio ac naturali destituuntur robore ; & sic tam sudor , quàm Santoriana separatio impeditur ; undè in corpore reticulari Malpighii , sive reticulo cutaneo , cuticulam inter & cutem circumposito , à tincto sero pallidus & subalbidus , immò plumbeus , livescens , aut virescens color cum aliquâ corporis intumescentiâ deprehenditur ; quo fit , ut ipsa nutritio impediatur. Similiter contingere videremus obstructions , si cadavera sedulò introspiceremus , quorum sectiones si quis optaret , sepulchretum anatomicum Boneti adeat : maximè autem eas videremus in imi ventris visceribus , præsertim verò in binis meseraicis arteriis , quarum superior per tenuia , inferior per crassa intestina perreptat , & utraque arcum insulamque constituit. Cerneremus has quoque in ramo dextero sinistroque

cœliacæ, quæ proximè supra mesente-
 ricam ex aorta prodit, arcum facit an-
 trorsum, deindè retrorsum flectitur; qui
 quidem rami per lienem, pancreas,
 ventriculum & hepar proserpunt; quo-
 rum diameter in principio ampla mani-
 festatur, in extremitatibus verò in an-
 gustiorem pergit. Dum igitur massulæ
 sanguineæ, quæ in conica impelluntur
 vasa per diametrum ampliorem, non
 difficilè transmittuntur, (in extremitate
 siquidem canaliculi cylindrici fiunt)
 validâ contractione humorem sangui-
 neum, quo nullum animal caret, ap-
 pellunt. Si igitur teretes massulæ fiant
 majores vasis cylindrici, conicique dia-
 metro, transire nequeunt. Quocirca in
 ramis meseraicis ac cœliacis obstructio-
 nes contingunt: & cum nos mechanica
 & hydraulica doceat, fluida in corpore
 humano alia aliis motibus ferri, tunc
 illa obliquè ac retrò incumbunt & ur-
 gent. Nequeo ferre Michelotti senten-

tiam, pace tanti viri, dum ait p. 35. 38. *Crassa fluida dicenda, non quæ particulas habent maximas, sed ea, quorum particulae difficulter trajiciuntur.* Idcirco enim particulae, vel nullo pacto, vel saltem difficilè trajiciuntur, quia sunt crassæ atque maximæ, ac dum sibi invicem cohærent, inde moles fluidorum maxima efficitur, dum mutuâ vi sese per vasa trahunt particulae diversæ massæ sanguinæ, & sic oritur cohærentia. Cohærentiam divinitus Elem. physic. Petrus Musschenbroekius definivit. *Est ea corporum conditio, quâ partes quomodocunque, & à quacunque causâ conjunctæ, divulsioni resistunt, ita ut eâdem vi à se mutuo separari nequeant, quâ aut solæ moveri, aut sibi tantummodò impositæ, sejungi iterùm potuissent, sed vim postulent multò majorem.* Idipsum confirmare in venis ejusdem generis supervacaneum non erit: nam ex demortuorum sectionibus quædam obstructions deprehensæ sunt, ut Bo-

netus, Willifius, Blancardus, Wepherus, Pechlinus, aliique indubiam fidem faciunt. Quin etiam nos experientiâ edocti sumus, quòd sinus duræ meningis, qui triangulum imitantur, sive quatuor sint, ut Ortlobius & Vieuffenius demonstrarunt, sive quatuor supra quatuor, ut eos Winslovus enumeravit, nec non jugulares internæ venæ sanguine mucoso, crasso, deside infarctæ sunt, immò substantiam ferè polyposam referunt. Et ratio in promptu est: cum enim istæ venæ impulsu destituantur, inde tardior, lentiorque fluidi sanguinei motus exoritur. Hinc non miramur obstructions natas esse, si particulæ sibi invicem cohæreant.

Longè adhuc prolixius & accuratius hujuscemodi afflictionis proximam causam tradidit gravissimus auctor noster in suis aureis aphorismis, dum num. 108. ait: *Obstructio oritur ex angustia vasis magnitudine molis fluxuræ, vel utrisque concurrentibus.*

Quicquid igitur potest hæc tria facere, hoc est angustare vas, cruorem defidem per ipsamet vasa appellere, & quicquid simul potens est vas arctare, & sanguinis massam minùs ad motum fluidam reddere, causam procatarticam, seu remotam nuncuparem. Quæ si quis plenius intelligere cupiat, Hermannum Boerhaavium, nec non ejus commentatorem Gerardum van-Swietenum de obstructionibus consulat. Nunc ordo postulat, ut affectionis scirrhosæ naturam dispiciam.

Scirrhus communiter est tumor durus, renitens, concolor, indolensque. Quamvis autem eum distinxerint in legitimum, seu exquisitum (quam descriptionem disertis verbis apud senem Galenum legimus) tamen distinctio illa constans non est. *Exquisitus igitur scirrhus tumor est præter naturam, sensu carens, & durus. Non exquisitus autem non omnino quidem sine sensu est, sed agere tamen admodùm sentit. Qui igitur sine sensu, incurabilis est;*
qui

qui verò hebetis sensus est, non quidem in-
sanabilis est, tamen non facilis curatu:
 quam opinionem etiam in Boerhaavii
 aphorismis van-Swietenus commemorat.
 Ejus morbi sedem fuisse glandulam di-
 dici ex nonnullis auctorum observatio-
 nibus. Inter recentiores quidem laudatus
 Heisterus anno 1725. Glandulam tymum
 deprehendit in puero tredecim annos
 nato hecticâ extincto, scirrho induratam,
 moleque ingentem. Idem auctor glandu-
 lam dorsalem à magno Vesalio delineatam,
 ad ovi gallinacei magnitudinem
 auctam. Undè œsophagus ita comprime-
 batur, ut nihil amplius transire potuerit.
 Philippus Verheyenus observavit ex
 dorsaliū glandularum tumore ac scir-
 rhositate patientem præ inediâ miserè
 obiisse, omni scilicet viâ cibo potuique
 ad ventriculum præclusâ. Post sectum
 enim cadaver, œsophagi latera ob vehe-
 mentem compressionem coaluisse ani-
 madvertit, ipsumque ejus tubulum sub

glandulis illis abiisse in corpus solidum introspectit. Scirrhum in majore oculi sinistri cantho natum, castaneam æquantem, feliciter abstulisse Hildanum, scribit van-Swietenus in comment. Boerhaavii. Tonfillas, post inflammationem illarum malè curatam, in scirrhum induruisse vidit ipse auctor aliquoties. Plurimæ forent medicorum observationes huc adducendæ de scirrho; verùm, ut brevitati consulam, paucas retulisse sufficiat. Symptoma illud, quod experientiâ compertum habuimus, hìc nullo negotio extricatur. Quippe mulieres quinquagenarias hystericâ passione graviter laborantes, necnon virgines, quæ immaniter mensium suppressionem passæ fuerant, ocyus, ac par est, talibus affectas scirrhis non rarò observavimus. Ratio est, quia dum menses in illis cessant, sanguis ille, qui fluere solitus erat, sive per vaginam, sive per uterum (quâ de re anatomici, magnâ inter se con-

tentione dimicant) ad alia vasa regurgitat ; deinde ob vasorum actionem in ipsamet fluida labefactatam, hæc spiffiora fiunt , atque adeo in glandulis ibi repertis interclusa scirrhosum morbum produ-
cunt. Scirrhi causa meritò recensetur viscida , crassa , viscosaque materia , dum particulæ istæ sanguinæ cum tardis, *quæ majorem habent vim inertiae , vel motum citiùs amittunt* (præceptore Hallero), se se attrahunt , naturamque gypseam, immò vitream acquirunt , impactæ , insertæque in ejus spatia per adhæsionem magnam : sic in glandulis scirrhus inchoatur , perficiturque. Causæ remotæ inquirantur attentius apud Boerhaavium , & Gerardi van - Swietenii commentarios. Jam verò proximum est , ut ad cancerum expendendum , quantum in me erit , aggrediar.

Cancer a similitudine cancri nuncupatus , tumor est rotundus , lividus , aut subniger , dolensque , dum canales cir-

eum circa scirrhum inflammari incipiunt :
 inde exulceratur , & in pus convertitur.
 Non parùm aberrarunt à veritate illi ,
 qui cancrum ad solas mulierum mam-
 mas , & virorum scapulas restrinxerunt.
 Nam exemplis docemur , quæ à multis
 scriptoribus memoriæ prodita accepimus ,
 in aliis quoque corporis partibus
 cancrum enasci , ut in labiis , linguâ , in
 pene virili : quæ nos quidem exempla
 apud Hildanum legimus. In virgine adulta
 satis magnam verrucam in dorso locatam
 in cancrum degenerasse van-Swietenus
 observavit. Idem auctor vidit in pollice
 pedis , dum unguem imprudentiùs fe-
 cuerat chirurgus in quadam rusticâ ,
 læseratque tenerrimam illam pulpam
 nervosam , quæ ibi est , similem excrevis-
 se fungum ; quem cum rodentibus con-
 sumere tentaret idem chirurgus , sic
 irritavit ut in horrendum cancrum abiret.
 Superiore anno in pede dextro cujusdam
 artificis cancrum ego observavi cum

præceptore in urbe Româ ; quem feliciter ille curavit. Igitur non tantùm in scapulis ac mammis , verùm etiam in quibusdam aliis partibus cancer enascitur. Causam hujusmodi morbi rectè est affectus Boerhaavius , dum ait : *est quidquid scirrhum facit , acre scirrho mixtum ; mutatio in circulantibus , à menstruis , hæmorrhoidibus , hæmorrhagiâ qualibet retentis ; sterilitas , cælibatus , effœta ætas à 45 ad 50 annos ; victus austerus , acer , calidus ; affectus animi tristes & biliosi ; irritatio externa quælibet , motu , calore , acrimoniâ , emolliente , suppurante , causticâ , vesicante medelâ externa , vel interna similia peragente.* Hæc de obstructione , scirrho & cancro dicta sint satis. Nunc de chalybis naturâ in obstructionibus agendum est.

Chalybs (testante Andreâ Baccio lib. 6. de Thermis cap. 2.) nominatur quasi ferrum chalybum à regione Chalybum in Ponto , ubi purissimum ac durissimum gignitur. Ferrum etiam Mars ab aliquibus

dicitur, quòd Mars planeta in productione ferri suas partes habeat radiis immittendis, & in terræ sinu radicitus implantandis. Sapienter igitur illustres viri scripserunt, nihil esse in ipso Marte, quin reperiat in ferro; de quo Plinius: *hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vitæ squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs solùm, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, & aliis recenter in perniciem hominum inventis. Jure quidem scriptores nonnulli ferrum Martem appellarunt, non solùm quòd hic planeta in generatione & productione ferri dominium exercent, suasque tunc temporis in ferrum virtutes ac proprietates inducat; sed quòd etiam Martis naturam ferrum sequatur & imitetur. Si quempiam medicorum non pu-*

det contemnere chalybem ; is etiam ferrum , seu Martem contemnat necesse est ; cum tamen ferrum propter consistentiam & duritiem , quâ pollet , valdè conducat ad corporis humani sanitatem. Neque enim hujus œconomia posset in æquilibrio sustineri , deficiente laudato remedio , sine quo medicina claudicans foret & imbecillis. Ut id ipsum de chalybe pro dignitate demonstrem , ita constituo , chalybem in obstructionibus persanandis utiliter adhiberi. Non enim tam equitatio laudabilis atque utilis est per celeberrimos Anglos , Sydenhamum & Mortonum , qui eam non dubitant in hecticâ & phthisi præsentissimam appellare ; non tam mercurius luem celticam ex humano corpore potest ejicere ; non tam cortex peruvianus febres intermittentes expugnare ; non tam laudanum liquidum , sine quo medicina manca esset juxta Sydenhamum , sedare choliam valet , quàm est chalybs idoneus ad ob-

structiones tollendas. Chalybs remedium est celebratum à viris clarissimis tum veteribus , tum recentioribus , parùm verò cognitum à philosopho nostro , qui non intelligit, quibus hoc medicamentum viribus polleat ad obstructiones debellandas : id quod multis rationibus planum fiet. Neminem præterit, a methodicis bina morborum principia tradi, quorum unum laxum , alterum verò adstrictum appellant ; illaque eorum methodus hujusmodi erat, ut pro laxantibus adstricta remedia , pro adstrictis laxantia applicarent. O veram, ac rectè nobilem methodum ! Tibi, o medicorum princeps Hippocrates, hoc quoque debemus : fit enim eo, ut malæ omnes affectiones expugnentur, ac valetudinis commo consulatur. Quid tum denique ? Hoc pacto dum nimiam solidorum rigiditatis insidias satis clarè cognosco per propria signa , id est , per durum , subtilem , ferrinumque pulsum, unà cùm accensâ

fiti conjunctum, continuâ vigiliâ, diarrhoea vomitu, exanthematibus, ingenti delirio, alvi duritie cum cutis asperitate, singultu, ac inflammatione, statim eorum laxationem tentandam & inducendam arbitror. Contra verò reparandum vigorem, nimiâ eorundem flacciditate cognitâ, habitis symptomatibus, hoc est pulsu molli, debili, frigore in extremitatibus ingenti, linguâ nimis humidâ, simplici nausâ, corporis fluxu, humido cutis sudore, magnâ somnolentiâ, viriumque prostratione. Quapropter censeo repetendum, quod in aureis aphorismis artis parens Boerhaavius scriptum reliquit, dum ait: *Rigiditas fibræ nimia est adunatio partium minimarum, quæ tam validè faciat eas cohærere, ut non cedant illi actioni fluidorum, quæ superare debet hanc resistantiam, ut maneat sanitas. Contrâ fibræ debilitas vocatur adunatio partium minimarum cum nisu in cohæsionem tam parvo, ut vel illo levi motu solvi queat, qui sanitatis effectu*

fit, vel non multum majori. Qui sunt in medicâ facultate diligenter versati, ajunt, rigiditatem solidorum nimiam indicare eorum laxationem, hanc autem vigorem reparare. Sit v. g. obstructio, in quâ offendimus fibræ nimiam laxitatem, ut in chlorosi evidenter patet; ad hujusmodi laxitatem tollendam, præter multa, quæ profunt, acido-austera fossilia computantur; *inter quæ, duce van-Swietenno, p. 36, reliquis ferè omnibus palmam præripit ferri, in acidis vegetabilibus fermentatis soluti, usus; quo miraculi instar tumentia illa frigida debilia corpora reviviscunt: nulla fit inde evacuatio liquidi distendentis, sed novum robur accedit, quo plus contracta promoveant stagnantes ferè humores; illi autem, qui evacuando curare volunt hos morbos, plus debilitant.* Chalybs igitur egregium remedium in obstructionibus, sive in pollinem redigatur, sive quocunque modo propinetur, illicò à salibus intra machinam nostram solutus, sic

agit : dum particulæ illæ sulphuræ metallicæ, ac acido-austeræ deglutuntur, eæ vel intra canales unà cum sanguine permiscuntur, vel forinsecus eorum superficiem attingunt. Si in canales appellantur, massulas symbolas, seu earum cohæsiõnem sopitam, aut ex majore sphericâ figurâ auctam, exfuscitabunt: hinc ipsi sanguini teretes illæ massulæ minores pro suâ diametro, ut per canales facillimè transire possint, restituntur : & partim terreis particulis, absorbendo, imbibendoque quemcumque acidum peregrinum obvium, partim deostruendo, aperiendoque, austeris suis operantur. Unde elasticus sanguinis motus restituitur, omnemque circuitum adimplebit. Si in vasorum superficiem agant, intricatissima fibrarum series acido-austeris roborabitur, atque idcirco vasa omnia robustiora fient, eorum elementis ad se invicem accedentibus. Mox fibræ ipsæ contractæ ab liquido

impulso, arcûs instar distentæ sese abbreviant, & in lineas rectas disponunt, accedunt ad axem suæ cavitatis, liquidum contentum appellunt; ipsorumque canalium functio tum demum absolvitur, cum omnis obstructio penitùs deletur.

Quoniam verò inanem philosophi, quem memoravi, opinionem ferre non possum, veram sententiam illustrium virorum testimoniis, atque rationibus luculentius confirmabo. Inter quos Plinium nat. hist. lib. 34. cap. 15. de Chalybis usu scripsisse legimus : *Propinatur contra lienis vitia, absument enim illa.* Julius Cæsar Claudinus : *Proprium, ait, melancholiæ hypochondriacæ alexi-pharmacum esse chalybem; quoniam continuus illius usus semper felicem finem in ægris sit affecutus: siquidem in reserandis obstructionibus, in quibus omnis melancholiæ curandæ cardo versatur, nulli medicamento cedat.* Et de ingress. ad infirm. in appendic. sect. 2. *In curatione melancholiæ hypochondriacæ medicamenta chalybeata sibi*

nullum par habere. Aetius ferm. 2. cap. II. affirmat : Lienosis præstantissimum esse remedium, aquam, vinum, aut poscam, in quibus ferrum extinctum fuerit, per multos dies sumtam. Quod etiam cæliacis, & lienosis multum profuisse, observavit Oribasius. Rasis lienis tumoribus utilem esse docuit, cujus affectu Serapio, Avicennas, Halyabbas fuerunt. Paulus Ægineta, aquam, in qua extinctum candens ferrum, epotam splenetis competere monuit. Mercatus quoque dilucidè hanc veritatem de morb. mulier. testatus est. Tantam esse, ait, chalybis naturam & efficaciam, ut magnos etiam lienis, & uteri scirrhos persanasse visum sit. Et alibi : incredibili efficaciam affectionis hypochondriacæ chalybem prodesse ; & experimento esse confirmatum, in omnibus ferè affectionis hypochondriacæ causis usum chalybis commodum esse, sive in feminis ex utero, sive in eis, ac viris ex ventriculo, mesenterio, jecore, aut splene obstructis, aut quomodolibet humore obesis,

malum oriatur. Sennertus lib. 3. part. 5. sect. 1. huic sententiæ adstipulatur his verbis : *Experientiâ diuturnâ, & multâ constat, chalybem ad affectionem hypochondriacam, cachexiam in mulieribus ex mensium obstructione, aliosque è pertinacibus lienis, & venarum meseraicarum obstructionibus ortos morbos, esse probatum remedium, & meritò ob id magni faciendum.* Confirmat etiam Petrus Joan. Faber cap. 4. lib. 4. *Vulnera enim, inquit, curat omnia, & ulcera maligna & cacoetha, & obstructiones reserat omnes, immo scirrhus hepatis, & lienis, & pedetentim dissolvit, & curat.* Longior sim, si virorum illustrium testimonia referre singula velim, quæ in Mangeti bibliothecâ pharmaceuticâ leguntur pro decantati remedii defensione, tam in obstructionibus, quàm in scirrhus ipso, morbisque aliis. Nam binis viribus chalybs, vel ferrum præditum est, roborandi scilicet, & aperiendi; hæc in volatiliori potissimum, ac proinde in sale; illa verò in

terreis particulis residet : quod plerique scriptorum aperte ostenderunt. Inter novissimos , Italus quidam lib. 3. de Chlorosi : *Inter præsidia , inquit , medica , non infimum sanè , & antiquiùs obtinuit locum : qui & alibi ait : blandè agit , obstruções recludit , viscerum vim enervem roborat , aliosque optimos , citò ac tutò , non præposterè modò propinetur , præstat effectus.* Sed , quæ sequuntur , viri optimi verba ferre nequeo : *Tyrones interim monitos velim , ne corpore non ritè purgato , neque humoribus non antea diu subactis , ac non benè dilutis , martem umquam propinent.* In hoc enim Sydenhamo professori londinensi aperte repugnat , qui genuinam , veramque methodum in praxi sedulò callebat , quem professores omnes in ipsâ exercitatissimum ; & omnibus imitandum fatentur. Ipse gravissimus auctor in Dissert. Epist. ad Guilielmum Cole scribens , hæc habet : *Si quis objecerit limaturam chalybis , nisi æger subinde fuerit*

expurgatus, in visceribus hærentem, ei, qui illam devoraverit, nocere posse; Respondeo primùm, me nihil unquam tale in quoquam deprehendisse; deinde longè verisimilius esse eamdem muco, & excrementitiis partium humoribus involutam unà cum istis tandem omnem elabi. Oportet ergò credamus, Italum istum vel Sydenhamum non legisse, vel si legit, contra virum insignem, ejusque de chalybe experimentum præfractè stare voluisse. Mars ergò instructus diversis viribus, adstringendi videlicet & aperiendi, in tubulorum parietes ictus non ita validè impingit, ut fibras convellat, impellat membranas, laceret, infringat, meatus magis magisque quandoque infarciat, abscessus, scirrhus, sanguinis lymphæque profusiones interiores, inflammationes, cruciatus, tormina, aliasque plurimas perquàm molestas, & persæquè lethales inducat affectiones. Hæc enim fabula est, quam ipse auctor inscitè comminiscitur. Non ignoro

Boerhaa-

Boerhaavium nostrum de virib. medic. pag. 446. edit. ult. Venetæ scripsisse, *chalybem in morbis acutis, ubi vasa sunt constricta, scirrhos insanabiles, aut mortem arcessere*; quam opinionem verbis magnificis nonnulli efferunt, nec ipse improbo: nam cum methodicâ consentit optimè, quæ, uti supra notatum est, omne laxum docet esse adstringendum, omne adstrictum laxandum. At inde non poterat philosophus ille, quem oppugnamus, in universum concludere, usum chalybis semper esse lethalem. Quippe ipse magnus Boerhaavius apertè tradit, esse aliquando salutarem. Ejus autem hæc verba sunt opere citato pag. 445. *In morbis laxissimis virginum chalybs optimè conducit. Cum scriptoribus iis, quos ante dixi, omnino sentit Hoffmannus, qui docuit, medicamenta martialia cum salinis & balsamicis maritata, commo- dèque exhibita non ineptè pro specifico, & efficacissimis ad cachexiam & chlorosin*

sanandam haberi remediis. Nec prætermittendus videtur Pitcarnius, qui tum in affectione hypochondriacâ, tum in mensium suppressione chalybem adhibuit. Consentit Joannes Freindius in Emmenolog. p. 213. Chalybem etiam vi momenti sui vasa potenter aperire; quippe qui corpus validè ponderosissimum sit. Hæc una est ferri proprietas, quam tom. 1. Chem. Boerhaavius agnovit; sic enim habet:

- 1. iterùm suo se distinguit pondere.*
- 2. Minùs simplex præcedentibus, cum manifesta præbeat sulphuris crudi adhærentis indicia, & combustilis veræ materiæ, immo verò & sæpe in flammâ vivas convertendæ.*
- 3. In igne fixum quidem, ita tamen, ut fumet, scintillas quasi combustili à materie spargat, pondere assiduo minuatur.*
- 4. Ductile sub malleo, in filamenta distractile, non verò in subtilitatem, quin dehiscat, aut fragilitatem prodat. Durum sonorum*
- 5. ignitur ante fusionem diu; funditur igne magno, omnium metallorum difficillimè igni-*

tum penitus frigidæ aquæ tactum fert. 6. Solvitur facillimè omni sale, rubescens cum iisdem, sales solventes facillimè perdit, in scorias consumitur ferruginosas; hinc vix valet a rubigine præservari: 7. facillimè destructibile inter omnia metalla, illicò abit in scorias. 8. Magnete trahitur trahens illum. 9. Corpori humano vi medicato optimum, minùs inde remotum, quàm alia metalla, inque eo ferè solvi potest. Hæc ultima proprietas dilucidè nobis aperit, quantâ polleat virtute chalybs in humano corpore ad obstructions ejusdem eliminandas. Quin etiam experientiâ sæpissimè edocti sumus, non solum in obstructionibus, verùm etiam in aliis morbis ejusdem usum esse quàm maximè salutarem. Sanè hæc medicamina, quæ ad genus pertinent adstringentium, in solidas potissimùm partes agunt; &, quod mirabile est, in nimiâ solidorum laxitate, post ejus usum virginum color è pallido brevi fit rutilus, roseus; quod

van-Swietenus p. 24. in suis quoque commentariis perspicuè observavit; cum per ferrum, ait, ingestum, & corporis exercitia augeatur in hac puellâ vis firmarum partium in fluida contenta, incipit tumens subsidere facies, amœno, roseo colore genæ, & labia perfunduntur, redit debitus vigor toti corpori. Et doctissimus Freindius in Emmenolog. p. 213. Nemini quippe obscurum esse arbitror chalybem tum gravitatis suæ momento, tum attenuandi vi obstructa vasa posse aperire; hinc enim sanguinis lentescens, unde oritur obstructio, cohærentiam tollit; inde humores impetu quodam per capillaria propellit. Ergò neque inflammationes, neque cancri, neque scirrhi enascuntur in corpore, si chalybe utamur, quem certissimis documentis innocuum esse deprehendimus. Boerhaavius noster tom. 1. Chem. p. 333. in homine, inquit, præstantem largitur, & sinè noxâ ferè medellam, dum cætera violentiùs agunt. Hæc de chalybe, ejusque usu saluberrimo dicta

CATALOGUS

Librorum quorundam latinorum, quos propriis sumtibus edidit, vel majori in copia acquisivit Amandus Kœnig, Bibliopola Argentoratensis.

ARETÆI Cappadocis, *Medici insignis ac vetustissimi*, Libri VII. à Junio Paulo Craſſo, Patavino accuratissime in latinum sermonem verſi. 8. 1768.

Bernouilli Hydrodinamica, *sive de viribus & motibus fluidorum commentatio.* 4. *cum figuris*, 1738.


Eustachii Libellus de Multitudine, *sive de Plethora.* 8. 1783.

Forſteni (*Med. Doct.*) Disquisitio medica Cantharidum; Historiam naturalem, chemicam & medicam exhibens. 8. 1776.

Gaubii (*Prof. celeb. Academiae Lugd. Bat.*) Sermones II. academici de regimine mentis, quod Medicorum est; *acceſſit* A. K. Boerhaviï Sermo academicus de iis quæ virum medicum perficiunt & exornant. 8. *maj.* 1776.

Hippocrates contractus, in quo Magni Hippocratis, Medicorum Principis opera omnia in brevem epitomen summâ diligentiam redacta habentur, studio & operâ Thomæ Burnet. 8. 1765.

Historia piscium, sistens ipſorum anatomen externam, internam, atque genera in classes & ordines redacta. Accedens Vocabularium locupletissimum; Indices latini ac gallici, Experiment. circa motum natatorium, & muscularem, respirationis mechanismum, auditus & generationis organa cum iconibus, genera nova ac præcipuas partes anatomicas exhibentibus, auctore Ant. Gouan. 4. 1770. *cum fig.*



Oppiani (*Poeta Cilicis*) Opera omnia : de Venatione libri IV. de Piscatione libri V. cum paraphrasi librorum de Aucupio, ex recensione J. G. Schneideri. 8. maj. 1776. *græce & latine.*

Oratio pro crepitu ventris habita ad Patres crepitantes ab Em. Martino, Ecclesiæ Alonenfis Decano. 32. *Cosmopoli* 1768. ex typogr. Societ. PP. crepitantium.

Sibylla Trig-Andriana, seu de Virginitate, Virginum Statu & Jure tractatus jucundus : ex Jure naturali, divino, canonico & civili; Scriptoribus ecclesiasticis & profanis, in gratiam Physicorum, Medicorum, Theologorum & Juridicorum paratus per H. Kornmannum. 8. Coloniae ex typographia Petri Marteau. 1765.

Schœpflini (*Regis Franciæ Consilarii & Historiographi*) Alsatia illustrata, Celtica, Romana & Francica. in folio majori, 1751--1762. II. Vol. cum 51. magnis Tabulis æri incisis.

— Vindiciæ Celticæ, sive Disquisitio de Patria Celtarum. 4. 1754.

— Commentationes historicæ & criticæ varii argumenti. 4. maj. 1741. *cum figuris.*

Quatuor Tabulæ anatomicæ Uteri duplicis observationem rariorem sistentes, ex Decreto Facultatis Medicæ Argentoratensis in lucem editæ à Georg. Henrico Eisenmanno, in folio sic dicto majori. 1752. *cum fig.*

Vastapani Animadversiones de China china in Synochis putribus. 8. 1783.

Vibius Sequester de Fluminibus, Fontibus, Lacubus, Nemoribus, Paludibus, Montibus, Gentibus, quorum apud poëtas mentio fit, Lectionis varietatem & integras Doctorum commentationes adjecit & suas D. Jer. Jac. Oberlinus. 8. maj. 1778.


fatis esse possunt ad inanem paucorum opinionem convellendam. Nunc de hydrargyro aliqua dicam.


Hydrargyrum volatilitate, fluiditate, gravitateque partium globosarum in minimos canales delatum, propter eorum angustiam, in minimas partes dividitur; unà cum sanguine mixtum ejus massulas ita propellit, ut ipse celeriores motum acquirat; hinc potentiâ quidem suâ premente humores attenuat, effringitque, eosque sibi invicem adhærentes facilius per cylindrica conicaque vasa appellit; atque ita vitales & naturales actiones in corpore nostro perficiuntur. Sanè huc tua pertinet, Alberte Haller, docta sententia, qui p. 317. tom. 6. ita scribis: *Ab obstructionibus oriuntur morbi chronici plerique. Sed obstructiones, quatenus obstructiones sunt, sanantur omnes mercurii viribus.* De quo eleganter Sextus Lucilius in primâ:

*Adsit, qui phialæ ventri sublimis adhæsit,
 Duplex mercurius vulcano instante, rebellem
 Nam morbum irretit morborum protea, ut olim
 Sontem Japetidem scyticâ sub rupe ligavit.*

Quod unum superest, oro te, Erudi-
 tissime Haller, ut hanc meam Differta-
 tionem auspicio tuo & patrocínio tueare.
 Vale XIV. Kal. Novembris MDCCXLV.

F I N I S.





COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE

RA

1230

